

## **Disputatio Theologica De Coenæ Dominicæ Influxu In Vitæ Sanctimoniam**

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1722]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1860460615>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 16.Dec.1722  
Aepinus, Frc. Alb.

*1a*



Q. D. B. V.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
**COENÆ DOMINICÆ  
INFLUXU  
IN VITÆ SANCTIMONIAM;**


SUB AUSPICIIS DIVINIS,  
Benevole consentiente SUMME REV. FACULT. THEOLOGICA;  
PRÆSIDE  
**DN. FRANC. ALBERTO  
ÆPINO,**

S. S. THEOL. D. ET PROF. DUCAL. PUBL.  
FACULTATIS SUÆ h. t. DECANO,  
**DN. PATRONO ac PRÆCEPTORE SUO**

*pia animi submissione æternum colendo,*  
Anno MDCCXXII. die XVI. Decembris  
publicæ ventilationi exponenda



abs  
RESPONSURO - AUTORE  
**FRIDERICO JULIO WIENCKE,**  
Levino - Megapolitano.



**ROSTOCHII,**  
Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII , Amplissimi Senatûs,  
Typographi.

1122

A SON ALTESSE SERENISSIME  
**MADAME LA PRINCESSE  
AUGUSTE,**

DUCHESSE de MECKLENBOURG,  
Princesse des Vandales, de Sverin & de  
Ratzebourg, Comtësse de Sverin,  
Dame des terres Rostock  
& Stargard,

**MA TRES SERENIS-  
SIME DUCHESSE.**

MADA-

# MADAME



A Clemence de **Vôtre** **Altesse** **Sere-**  
**renissime**, *envers mon pere , & Votre*  
*haute protection envers moi , qui ai eu deus ans*  
*de svite le gouvernement des Pages de V. A. S.*  
*m' oblige en reconnoissance des tous ses bien faits,*  
*de Lui dedier ce petit ouvrage , puis qu' Elle ét dans l' Europe une*  
*des principales* **PRINCEESSES**, *elevée dans la veri-*  
*table pietè , & que ce traite , ét tout de l' Eucharistie , qui ét la Ste*  
*Cene*

A 2

*Cene de notre Seigneur JESUS Christ, & pour la  
quelle V. A. S. a tant de veneration. J' espere qu' Elle me favori-  
sera dans cette rencontre, & que par donnant ma libertè, ELLE  
me fera de nouvelles Graces en recevant la dispute, que j'ai fait  
fondée sur la Sainte Ecriture, contre les Erreurs & oppositions  
Fanatiques de Chretien Democrite, ou Jean Con-  
rad Dippel; pour la gloire de dieu & la charite Chretienne.  
Mes desirs seront satisfaits* **MADAME SERENIS-  
SIME PRINCESSE**, si V. A. S. approuve mon  
dessein, qui ét pour l' utilitè de l' Eglise, & pour la gloire de Votre  
A. S. Priant le Ciel, qu' il La comble des tous biens, qu' il La con-  
serve & La couvre de graces & de sa divine protection, a fin que  
tous ses sujets puissent jouir du calme & du repos sous Son autorité,  
& que je puisse aussi prosperer sous son regne faisant voir par tout,  
avec toute soumission, que sans nulle feinte je suis

*de* **V. A. S.**

le plus obeissant & le plus fidele  
sujet

**E. J. WIENCKE,**

## PRÆFAMEN.

**C**upidissimum esse salutis nostræ Clementissimum Divinum Numen, singulæ ferme S. Codicis paginæ loquuntur. Patet ardentissimum istud salutis nostræ desiderium tum ex Christi redemptione, *Job. III. 16. Rom. V. 8.* tum ex largissima bonorum per Christum partorum oblatione, facta tam in Verbo, τὸν ὑπερβάλλοντα πλεον Ἰησὺς χάριτος αὐτῶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ revelante, quam in Sacramentis, infinitæ ipsius gratiæ sigillis. Singulis patet aditus ad gratiæ thronum, ut olim per Circumcisionis, sic hodie per Baptismi januam apertissimam. Promovet iter, monstrata via, ὁ λύχνος ὁ ἐν ἀνυχμῆσιν τῶσδε φαίνων. Delassatos in via reficit Salutaris Cœna, cibus ille potusque vitæ. Quid igitur est, quod ulterius nobis faceret, & non fecit? *Es. V. 4.* Exuperantissimum proinde DEI erga misellos nos homines atque intensissimum, amorem cum Johanne, jure admiramur, exclamantes: DEUS est amor! *I. Job. IV. 6.* Veneratur ex debito Ecclesia Sacramenta, certissima gratiæ sigilla, defendens eadem per Verbi μάχαισιν διςομοῖον contra Satanaæ atque hæreticorum insidias, qui in hunc usque diem ea partim mutilare, partim ut penitus inutilia tollere allaborant. DEUS vero, ut omnem Verbi Sui veritatem, sic etiam doctrinam de Sacramentis, contra impias hostium machinas huc usque potentissime defendit. Non equidem hac vice de aliis dicam, cui S. Dominica Cœna nunc proposita est. Haud tamen, quæ circa illam vel à Pontificiis, vel Calvino-Reformatis, vel Socinianis aliisque moventur, controversias proferemus, sed solis cum Fanaticis res nobis erit. Sunt equidem & varia, quæ ab illis de ea dubiamoventur; at sola nobis respicitur illius efficacia, qua influit in vitæ sanctimoniam. Quam licet alii multi, tam veteres, quam recentiores impugnare conati fuerint; præcipuè tamen cum *Job. Contr. Dippelio*, qui *Christiani Democriti* sub nomine orbi Christiano exosum se non minus, quam famosum reddidit, nobis res erit, efficacissimum S. Cœnæ Dominicæ in vitæ sanctimoniam influxum, contra eundem, pro virium modulo vindicaturis. Quod ut melius fieri possit, duas in Sectiones tractationem distribuemus, quarum prior & statum controversiæ formabit, & veræ doctrinæ probationem adducet; Posterior Adversarii argumenta examinabit. Qui qualiscunque labor, si in divini Nominis gloriam Ecclesiæque commodum aliquantisper vergat, sine tum meo nullus defraudabor. Adspiret vero DEUS conatibus humillime precor.

SECTIO

## SECTIO I.

### S. I.

**D**E influxu S. Cœnæ in vitæ sanctimoniam acturus, prolixam integri de Sacramento Cœnæ Dominicæ Articuli deductionem hic loci minime necessariam esse judico, quin potius abs Theologis nostris, in Compendiis & Systematibus ubivis obviis, sufficientissime tractatum & expositum illum præsupponere hic mihi liceat. Et quanquam nemini Christianorum, vel ex primis Catechismi rudimentis, ignotum esse queat, quid sit S. Cœna; nihilominus sequentem illius præmittere placet definitionem: *S. Cœna est sacramentum Novi Testamenti à Christo institutum, quo ordinarie per Ecclesiæ ministrum, in, cum & sub pane ac vino benedicto verum corpus, verusque sanguis Christi realiter & quoad substantiam, omnibus edentibus ac bibentibus Christianis, sub verborum institutionis applicatione, dantur, & ab his vere & realiter quoad substantiam, ore corporis, modo tamen supernaturali, comedendo atque bibendo accipiuntur, in mortis Christi commemorationem, gratiæ federalis, omniumque per Christum partorum beneficiorum oblationem & fidei confirmationem, ad salutem eorum æternam.*

S. II. Qua ex definitione, reliquis, ad scopum nostrum non adedè directe facientibus, in tantum præteritis, id præcipue, quò de virtute & efficacia S. Cœnæ, quam ei tribuimus, tantò firmitus constet, præsupponendum est, Christum autoritate ac Majestate divina, quæ secundum divinam naturam ei per se, & secundum humanam communicative competit, Sacramentum hoc instituisse. Nam quicquid efficaciam atque virtutis Sacramento inest, id omne a causa sua principali habet, quippe quæ illud ordinavit atque instituit, ut efficax sit gratiæ vel conferendæ, vel confirmandæ medium. Nam causam administrantem hic attendere, causam nostram nil quidquam juvabit, utpote de qua constat, eam nec intentione sua, nec qualitate Sacramentis vel addere virtutem, vel detrudere posse. Magis ad rem nostram spectat, ex data definitione etiam supponere, in S. Cœna communicantibus corpus atque sanguinem Christi vere atque realiter quoad substantiam cum pane ac vino manducandum atque bibendum

dum exhiberi, & ab illis accipi, siquidem ex eo omnis est Sacramenti hujus virtus & efficacia, quatenus in actum deducitur, sive effectus, Haud tamen erit, ut hoc loco ipsum prolixè probemus, quod contra Calvino Reformatos à Nostris abunde factum constat. Solum sufficiat nobis, quod argumentum clarissimum est certissimumque, ad expressa ipsius Christi omnipotentis pariter ac veracissimi, Sacramentum hoc in ultimo suo Testamento instituentis, verba provocare, *Matth. XXVI. 26. 27. 28. Marci XIV. 22. 23. 24. Luc. XXII. 19. 20.* Quæ cum sint verba testamentaria sanguine ac morte Testatoris confirmata & obsignata, nefas sit eadem mutare, aut improprium iis sensum affingere, *Gal. III. 15.* Porrigens autem ille Apostolis panem benedictum, ἸῆϞ, dicebat, ἐστὶ τὸ σῶμά μου, & prout Paulus *I. Cor. XI. 24.* effert, præposito ante substantivum singulari elegantia genitivo pronominis ἐγώ (conf. *Matth. VIII. 8. Col. IV. 13.*) Ἰῆτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα. Ubi emphaticus articulus positus corpus Christi distingvit ab aliis, brutarum scilicet victimarum, corporibus, & excellentiam ac singularitatem Corporis hujus demonstrat, quod non nudi hominis; sed ipsius Filii DEI corpus, in ἰσῶσασιν nempe divinam assumptum, exhibeatur, & quidem τὸ ἰσῶρ ἡμῶν κλώμενον, quod non denotat corpus Christi, quatenus pro nobis datur, fractione panis adumbratum; sed, uti tum ex parallelismo *Luc. XXII. 19.* τὸ ὑπὲρ ἡμῶν διδόμενον, tum ex significationis vocum PRO VOBIS identitate satis superque patet, per Metonymiam, mortem ac dolores Christi acerbissimos (sine tamen fractura ossium, *Job. XIX. 36.*) indicat, Conf. *Es. XXXVIII. 13.* Sic & poculum benedictum eis exhibens dixit: Ἰῆτο ἐστὶ τὸ αἷμά μου, *Matth. XXVI. 28.* Ubi notandus est nexus verborum formalium cum præcepto de bibendo, per particulam γάρ. *Bibite ex hoc omnes: Hoc enim est sanguis meus.* Cogitare siquidem discipuli forte potuissent se de poculo Paschali jam satis hausisse; hinc Christus enthymemata hæc anticipando, longe aliam mandata hujus bibitionis causam esse ostendit, nempe quod jam ex poculo hoc Sacramentali Novi Test. una cum vino bibendus ipsis exhibeatur sanguis suus, sanguis ille N. T. pro omnibus in ara crucis effundendus. Quibus hinc plura non addo, cum veritas hæc contra Calvino-Reformatos, & Sacramentarios olim dictos, Socinianos item, Fanaticos & quos-

evlud

quos-

quoscunque illius impugnatores abunde, ac propemodum ad nauseam usque, demonstrata sit atque defensa.

S. III. Quamquam autem, ceu in definitione illius insinuatum, plures alioquin sint S. Coenae dominicae fines atque effectus, non oppositi illi, sed subordinati, atque conjunctim aliam spectandi; haud tamen in praesenti tractatione, de aliis, quam de vitae sanctimonialia dicere constitutum nobis est. Ubi non erit, qui de ambiguitate vocum: sancti, sanctitatis & sanctimonialiae, prolixè disseram, cum consistet, sanctificare in genere ac usu Politico, alicujus rei, personae, vel facti separationem abs communi usu significare, ac idem esse, quod religiosum facere: quemadmodum primitivum (primitivi vero significationem derivativa retinent) *Sancio* est aliquid reddere inviolabile, quo sensu leges sanctae, sancta templa, sanctum ministerium, sancti muri & similia dicuntur. Sed nobis speciatim sanctitas & sanctimonialia sumitur, ut est praedicatum personarum, & sanctus dicitur, cujus vita moresque sunt incorrupti & inculpati. Quomodo sanctus, imo sanctissimus (est enim per essentiam talis) dicitur DEUS, omnis omnino labis atque impuritatis expertus. Sic etiam Angeli vocantur sancti, nec non beati coelites. Sed nobis de hominibus, iisque viatoribus sermo est, utpote quibus a Christo, ceu medium sanctitatis, S. Coena data & instituta est. Unde nec de ea loquimur sanctitate, qua homo ad imaginem divinam conditus in statu integritatis pollebat, quam per lapsum paradisiacum amisimus; sed eam, quae nunc in hominibus post lapsum datur. Et hac quidem non *improprie* dicta, qualls hypocritis, sanctitatis externam speciem praeseferentibus, nonnunquam, abusive tribui solet; sed *proprie* sumpta, quae in credentibus vereque piis datur. Haec autem est vel *imputata*, quando nimirum fidelibus sanctitas Christi, quem totum cum omnibus suis bonis vera cordis fiducia sibi appropriant, imputatur, seu in iudicio divino reputatur, ac si propria ipsorummet esset, quomodo Christus dicitur nobis factus etiam sanctitas, *I. Cor. 1. 30.* vel *inbasiva*, quae ut habitualis perfectio homini inexistit, eumque intrinsece sanctum denominat, cum per priorem sanctus dicatur denominatione duntaxat extrinseca. Non autem influit S. Coena in illam formaliter consideratam, quamvis influat in fidem gratiam imputationis fiducialiter apprehendentem: ut igitur illa hoc loco non intelligatur. Haec vero, seu *inbasiva*

hæfiva sanctitas non consistit in honestate civili, aut naturali illo faciendi, quæ Legis sunt, conatu, qualis & in infidelibus per naturam dari potest, *Rom. II. 14.* quæ vero juxta Scripturam sanctitas dici non meretur; Sed supernaturalis illa, quæ non nisi in fidelibus locum habet, per gratiam sanctificationis ac renovationis Spiritus S. in hisdem producta. Ut namque homini ad imaginem sui condito sanctitatem DEUS concreaverat, sic & in homine ad imaginem divinam renovando reparari debet sanctitas, *Eph. IV. 24.* quæ igitur, ut totum renovationis opus, a Spiritu S. unice dependet.

§. IV. Sanctimonia vitæ cum dicitur, intelligitur vita non solum in actu primo, prout habitum & vires spirituales sanctas operationes edendi in homine regenito ac renovato denotat; sed etiam, & præcipue quidem, in actu secundo, quæ in ipsis operationibus, ab isthoc habitu & a viribus istis spiritualibus provenientius, consistit. Vivere enim absolute loquendo est operari, siquidem ex operationibus vita cognoscitur, & vires habitusque propter operationem sunt, in spiritualibus non minus ac in naturalibus. Est igitur sanctimonia vitæ ratio vivendi hominis fidelis, viribus spiritualibus gratiâ renovationis a DEO instructi, à vitâ hominum communi naturali atque corruptâ separata, DEOque consecrata, recta & præscripto legis divinæ conformis, circa DEUM, hominem ipsum & proximum exercitio continuo occupata. Est ea, quam phrasi Scripturæ hominis interni ac novi vitam dicimus, quamque Scriptura alias *εὐσεβείας* seu pietatis, *I. Tim. IV. 8.* vitæ spiritualis, *Gal. V. 16.* perfectionis, *Matth. V. 48.* *Col. I. 29.* nominibus appellat. Operationes autem vitales, in quibus hæc vitæ sanctimonia apparet, sunt non solum illæ, quæ per se & proxime circa ea, quæ sunt Spiritus DEI, tanquam circa objectum materiale, ac simul sub ratione illis propria & spirituali occupantur; (v. gr. quando intellectus dicitur, DEUM in personis trinum esse invocandum, Christum Mediatorem esse diligendum; quando voluntas ipsa elicit actum fiduciæ in DEO trinno per Christum reconciliato; actum dilectionis Christi Mediatoris.) verum etiam illæ, quarum objectum materiale quidem est res lumini nature subjecta, ipsæ tamen sub ratione aliqua spirituali in eam tendunt, aut ad ea quæ sunt Spiritus DEI, ordinantur; (c. gr. actus diligendi DEUM, non ut per lu-

men naturæ, sed ex revelatione divina cognitum; actus diligendi proximum, non præcisè vinculo naturali, cognationis aut amicitiae, sed ut in Christo nobis conjunctum, & hujus propter voluntatem; abstinere à voluptatibus carnalibus, non honestatis civilis studio, sed propter voluntatem divinam revelatam, & intuitu finis supernaturalis, ne eo excidamus.) ceu rem bene declarat *BAJERUS Part. III. Comp. Theol. Moral. C. I. §. 13*, Qv̄i autem sancta hæc renatorum vita à vita moraliter & civiliter probè differat, latius expositum videatur apud Theologos Moralistas: *BAJERUM Part. I. C. I. §. 11.* & prolixius *BUDELUM Instit. Theol. Moral. Part. I. Cap. I. §.*

§. V. Mihi de eadem unicum addere liceat; quando nimirum perfectionis spiritualis, ut dictum, nomine venit, aut perfecta dicitur sanctimonia vitæ. Regula nempe illius & norma Lex divina moralis est, quam & fidelibus atque justificatis, quoad usum ejus, ceu dicitur, didacticum, præscriptam esse, contra Antinomos quondam, duce Johanne Islebio Agricola, in Ecclesia nostra exortos, defendit *FORM. CONC. Artic. VI.* id quod suo modo contra Pontificios etiam, Legem quandam Evangelicam confingentes, & Fanaticos legem externam in regno Christi cessare jubentes, substituto ejus in locum Evangelio, imò Christo ipso in renatis existente, tenendum est. Quantumlibet enim & maledictio & coactio Legis respectu regenitorum locum non habeat, *Gal. V. 18.* ut renati per virtutem & operationem Spiritus Christi in ipsis sponte libereque secundum Legem, ceu normam, actiones suas, omnemque vitam instituant; manet tamen etiam ex parte illorum obligatio, pædagogia & didascalica Legis. Lex vero postulat obedientiam perfectissimam in actionibus omnibus, ratione tum graduum, *Matth. XXII. 37. Luc. X. 27.* tum partium, *Deuter. XXVII. 26. Jac. II. 10.* tum continuationis atque perseverantiæ, *Ezech. XVIII. 24. Gal. III. 10.* Talem autem, quæ omnium circumstantiarum ratione perfecta sit, Legique exacte conveniat, obedientiam præstare regeniti non valent, nec Legem implere possunt, utpote in quibus caro tamen repugnat Spiritui, *Gal. V. 17.* & lex in membris eorum rebellat legi mentis, *Rom. VII. 23.* ut, quantacunque fuerit, quamque excellens regenitorum sanctitas, nihilominus cum Paulo conqueri habeant: *Non, quod volo, facio bonum; sed, quod non volo, malum, hoc ago. Rom. VII. 19.*

Ex

Ex quo dispallescit, perfectam dici sanctimoniam vitæ, non absolute & in se; sed inchoative tantum, comparative, ac relative ad complacentiam divinam, cum DEO placeat per fidem, indeque nullum sit *κατάκειμα* in illis, qui sunt in Christo Jesu, (Sunt autem in eo per fidem, *Gal. III. 26. 27.*) qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum, *Rom. VIII. 1.* Quando igitur, S. Coenam in vitæ sanctimoniam influere, dicimus, non volumus, illam hanc ita perficere, ut nihil ei ulterius addi queat; sed quod augmentum duntaxat ejusdem majus producat, ut caro seu vetus homo magis magisque debilitetur, novus autem homo & Spiritus vires acquirat majores. Nam reparatio imaginis divinæ, ad quam sanctitas pertinet, *Eph. IV. 24.* hac in vita duntaxat inchoatur, & augetur quidem in fidelibus, nondum autem completur, complemento illius futuræ demum vitæ reservato, *1. Job. III. 2.*

S. VI. *Influxus* vocabulum usitate causalitatem quandam causæ efficientis, quæ virtutem operandi & efficaciam præsupponit, indicat, siquidem verbum *influere*, quod ceteroquin per metaphoram usurpatur, hic ponitur pro producere, largiri alteri esse suum, vere realiterque operari & conferre aliquid ad alterius vel productionem, vel constitutionem conservandam, confirmandam, augendam, similive ratione. Sic itaque per influxum S. Coenæ in vitæ sanctimoniam, intelligimus veram, realem & efficacem operationem sanctissimi hujus Sacramenti, qua ad vitæ sanctimoniam, ut ea sit in homine, quidpiam confert. Solet autem influxus, pro vario, qui in causa deprehenditur, operandi modo, varie distingvi, utpote in Logicum, Moralem, Physicum seu naturalem, & hyperphysicum seu supernaturalem, quem & spiritualem dicere licet. *Logicus* ille quidem improprie duntaxat, quia realem non importat operationem, nomen influxus gerit, adeoque à nobis non attenditur. Id namque tantum logice dicitur influere, quod nostro concipiendi modo, tanquam ab eo distinctum, alteri naturam largitur, seu quod ab altero præsupponitur, eoque naturâ prius est: quomodo ens in attributa sua influere dici potest. *Moralis* influxus non fit immediate in effectum & ejus esse, sed terminatur in causa physica, in quam operatur, fitque per actum aliquem, quo intentio causæ moralis sese exerit, v. gr. mandando, consulendo, suadendo. *Physicus* in-

fluxus terminatur realiter ad esse alterius, in quod operatur virtute & efficacia naturali, a constitutione viribusque causæ propriis dependente. Quomodo succus in arbore influit in fructuum productionem, nutritionem & augmentationem. Influxus *supernaturalis* etiam realiter ad esse alterius terminatur, virtute autem & efficacia operandi vires naturæ omnes superante, ac a DEO peculiariter dependente. Ut verbum divinum influit in hominis regenerationem, I. Petr. I. 23. Jac. I. 18. Non equidem negamus, Cœnam dominicam præstare in sanctimoniam moralem etiam influxum posse, quando in recordationem Christi hoc Sacramento utimur. Nam persuadere id nobis valet, ut sanctimoniam studeamus, propter voluntatem eius, qui tanto erga nos amore flagravit, ut se ipsum tradiderit DEO pro nobis in sacrificium, omnia nobis bona promeritus, quò, sicut ipse pro nobis passus exemplum nobis relinquit, subsequamur vestigia illius. Nam pertulit ipse peccata nostra in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiæ viveremus, I. Pet. II. 21. 24. Haud tamen solus moralis est ille influxus, quem alioquin Adversarii, Cœnæ dominicæ suam detrahentes efficaciam, concedunt; sed intelligitur nobis influxus, qui terminatur ad ipsum effectum, non naturalis, sed supernaturalis, divina se virtute exserens, physico tamen influxui analogus. Verbo ut dicam, talis intelligitur nobis Cœnæ dominicæ in sanctimoniam vitæ influxus, qualis Verbo DEI ad effectus spirituales in homine producendos competit, descriptus Es. LV. 10. 11. A Verbo namque audibili ad S. Cœnam, tanquam visibile, ceu dicitur, verbum, propter analogiam recte concluditur. Quemadmodum igitur pluvia terram irrigans atque fœcundans in plantarum ex terra productionem, productarumque nutrientem augmentationem realiter actuque physico influit; ita & S. Cœna animam fidelis realiter actuque hyperphysico ad quævis Bona opera fœcundat.

S. VII. Cum per se notum sit, talem esse influxum, qualis est ipsa influens causa, ac ei competens virtus, juxtaque constet, Sacramenta non esse causas principales spiritualium in homine producendorum effectuum; sed organa, vel, si mavis, media, quibus mediante Spiritus S. istos in nobis operatur, ultrò sequitur, influxum Cœnæ dominicæ in sanctimoniam vitæ, non esse principalem; sed organicum & subordinatum. Sic tamen ille comparatus est, ut, quemadmodum causa  
princi-

principalis & instrumentalis simul in eundem influunt effectum ; ita & S. Coena, seu medium, simul cum Spiritu S. operetur in sanctimoniam vitæ, sitque influxus ejus vere supernaturalis atque divinus. Non enim virtutem influendi tribuimus materiæ terrenæ hujus Sacramenti, siquidem inter rem naturalem & spiritualem nulla proportio est, & naturalia spiritualem producere effectum non possunt; sed quicquid efficaciz Cœnæ dominicæ competit influendi in sanctimoniam, id omne a materia cœlesti illius est, corpore ac sanguine Jesu Christi. Adeoque effectus hicce illius non in omnibus Sacramento utentibus producitur, siquidem indigni ejusdem adeo participes non fiunt, ut judicium potius sibi ipsis edant bibantque, *I. Cor. XI, 29.* sed in solis credentibus, qui ante usum illius debite sese probaverunt, & corpus Domini, seu decet, discernunt, requirente Apostolo *L. c. v. 28, 29.* Non enim ex opere operato, ut dicunt, Sacramenti usus prodest, nec manducatio atque bibitio oralis solitarie spectata hic operari aliquid valet, sed conjunctim demum cum spirituali influit in sanctimoniam vitæ.

§. IIX. Sed oritur quæstio : Num S. Cœna sic influat in vitæ sanctimoniam, ut ipsum ejus initium primasque sancte vivendi vires conferat ; an vero in confirmationem & incrementum ejus duntaxat operetur ? Sive, ut aliàs quæri solet: An Cœna Domini sit Sacramentum confirmationis tantum ? Est communis hæc, quantum novi, Theologorum sententia, in instructione Paulina, de salutari hujus Sacramenti usu, *1. Cor. XI. 26. sq.* fundata: qua vero longe meliorem, ita ut isthanc olim propositam revocaret, invenisse sibi visus est Dn. D. PFAFFIUS *Tract. de Orig. Jur. Eccles. Cap. IV. Art. III. num. VI. & not. (i.)* quam conscientis hoc Sacramentum administrantium, de insigni illius apud quam multos abusu sollicitis, satisfacturam putat, eoque nomine institutâ p. 238. declamatione commendat. Vult scilicet, *Sacramentum Eucharistie apud eos quidem, qui in statu gratia sunt, esse Sacramentum confirmationis & oblationis, apud eos autem, qui nondum in statu penitentia & gratia sunt, esse Sacramentum quoddam preparatorium ad penitentiam.* Vel, ut plenius p. 237. mentem declarat, esse tale Sacramentum, quod gratiam DEI prævenientem corpusque domini pro nobis datum, sanguinemque ejus pro nobis fustum *eis ἀφεσιw ἀμαρτιῶν*, ad remissionem peccatorum, iis, qui nondum re-

sifuerē annānciet viamque ad pōnitentiā ipsis mōstrēt, eosque sic  
 excitet, ut amore DEi summo, qui in Jesu Christo per participationem  
 hujus sacramenti ipsis jam affulget, perspecto ad spiritualem mentis  
 suā, pectorisque & conversationis mutationem, abnegandaque & se-  
 questranda, quæ hactenus inbiavere, vitia ferantur. Quomodo  
 si res concipiatur, migrantibus tenebris, clarā statim & amoenā  
 arbitratur lucem successurā, imo quam mirificè argumentum de com-  
 munionē indignorum sic illustrari. Rationes in *επιπέρω* p. 247.  
 duas dat. (1) quia in hoc Sacramento, gratia DEi universalis, corpus  
 Christi pro omnibus traditum, & sanguis ejusdem pro omnibus fusus  
 offeruntur. (2) quia AD remissionem peccatorum, tanquam ad ter-  
 minum, ad quem per acceptionem Sacramenti tendere debeamus, il-  
 lud juxta intentionem Christi vergere debet. Quibus ex antecedentibus  
 accedit tertia, quod hæc sententia tranquillās & securas reddere potest  
 conscientias Ministrorum, qui circa præcordia plurimum anguntur, ubi  
 vident, se, rebus sic stantibus, uti stant, indignos a communione sacra  
 arcere non posse. Quæ repetita leguntur *Instit. Theol. Dogmat. &  
 Mor. Part. III. Sect. III. S. 3. p. 712. 713.* Verum, hæ rationes ejus  
 momenti non sunt, quæ communem linquere sententiam nos cogant,  
 cui potius inhærendum. Idque partim ob analogiam Sacramentorum  
 Veteris & Novi Testamenti. In istis quippe ad esum agni Paschalis  
 nemo admittendus erat, nisi ante circumcissus, adeoque jam fide dona-  
 tus, *Exod. XII. 44. 48.* Partim ob clarissimum Apostoli assertum *1.  
 Cor. XI. 27. 29.* Eceur enim discrimen dignorum & indignorum com-  
 municantium fit? Cur ad S. Eucharistiam accessuri se ante probare  
 jubentur, ac corpus Domini discernere, si præparatorium ac pōnitentiæ  
 initium, cum ipsis primis viribus sancte vivendi, operans Sacramentum  
 esset? Quænam ista in nondum conversis præparatio, quænam dis-  
 cretio corporis dominici foret? Ubi otiosā subtilitatem sapit exceptio,  
 quod Paulus non de indignis loquatur, sed de indigne communicantibus,  
 h. e. ea ratione Sacramentum accipientibus, quam *comm. 21. 22.* repre-  
 henderit. Quemadmodum enim, quisquis indigne suo in munere se  
 gerit, indignus eo censendus est; ita, qui panem eucharisticum  
 ederint, aut biberint de poculo Domini indigne, indigni eodem  
 sunt, rei que facti corporis ac sanguinis Domini, sibi met ipsis judi-  
 cium

clum edunt ac bibunt. Indicarat Apostolus *v. 21. 22.* speciem quendam abusuum, sub qua indigne ad Sacramentum hoc quidam accedebant, postea vero in genere loquitur, & ne quispiam indigne Sacramento utatur quocunque modo, remedia præscribit: probationem sui, corporisque Domini discretionem. Hæc verò poenitentiam non antecedunt, sed eam potius præsupponunt. Loquimur autem, non de poenitentia quotidiana stantium, cujus quotidie repetendæ necessitas regenitis, ob peccata ignorantia atque infirmitatis variosque pravorum concupiscentia motuum insultus, incumbit, in quam, utpote ad vitæ sanctimoniam pertinentem S. Coenæ influxum hic propugnaturi sumus; sed de poenitentia lapsorum & nondum conversorum, quam Dn. Dissentiens intelligit. Istis ex causis Dn. D. BUDDEUS *Part. II. Instit. Theol. Mor. Cap. V. S. 20.* pronunciat: *Δοκιμασία, de qua Paulus loquitur, non nisi a regenitis institui potest.* Item: *Qui autem fide & vita spirituali adhuc destituuntur, nec dum conversi aut regeniti sunt, in iis fides & vita spiritualis nec confirmari nec augeri potest: In hoc itaque statu qui se constitutos norunt, se convertere prius ad Dominum debent, quam ad S. Coenam accedant, nisi gravissima DEI judicia sibi ipsis attrahere velint.* Hancque communem veteris Ecclesiæ sententiam fuisse, confirmat ex usitata illa solenni formula, qua in Eucharistiæ celebratione alii advocabantur, alii arcebantur, præcone clara exclamante voce: *Ἰὰ ἀγία τοῖς ἀγίοις.* Quam CHRYSOSTOMUS *Homil. XVII. in Ep. ad Ebr.* declarat: *Quando dicit, Sancta sanctis, hoc dicit, si quis non est sanctus, non accedat.* Neque contrarium nobis allata persuadent argumenta. Duo namque priora æque ad poenitentiam stantium spectant, quam hactenus non conversorum. Ultimum vero nil probat, cum & sine illa sententia tranquilla gaudere conscientia Ministri Sacramentum administrantes possint, modo subinde Auditores suos de digno illius usu instituant, dehortati, ut ne quis eo indigne utatur, arg. *Ezech. III. 19. XXXIII. 19.* Nam & Paulus non à Ministro administrante probationem requirit, sed abs eadem usuris: *Probet homo se ipsum, & sic de pane illo edat, & de poculo bibat, 1. Cor. XI. 28.* Ideoque non dicimus, S. Coenam primam poenitentia originem & prima initia sanctæ vitæ producere; sed in augmentum illius influere ac incrementum eius operari. S. IX.

S. IX. Constituto sic controversiæ statu, jam nunc ad probandum illum S. Cœnæ in vitæ sanctimoniam influxum nos accingimus, Ubi supponendus est necessarius fidei & vitæ sanctimoniam nexus. Hic talis est, ut nec vera fides sine sanctimonia vitæ possit esse, *Gal. V. 6. Jac. II. 17. 20. 26.* nec sanctimonia sine fide DEO placere queat, *Ebr. XI. 6.* Habet itaque se fides ad vitæ sanctimoniam ut causa ad effectum, ut antecedens ad suum consequens. Arbor fides est, fructus sunt opera sancta. Dicitur enim fides *ἐνεργημένη*, efficax, virtutem suam exerens & a posteriori demonstrans, (conf. *Eph. III. 20. Col. I. 29. Jac. V. 16.*) *per charitatem.* Charitatis autem vocabulo, stylo Scripturæ totam vitæ sanctimoniam denotari, notum est ex *Matth. XXII. 40. Rom. XIII. 10. Gal. V. 14.* Ex quo complexus ac epitome omnium virtutum Christianarum Charitas dici solet. Ipsa vero bona opera fructus fidei vocantur, ex *Job. XV. 5.* cum Christus dicit: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Manemus autem in Christo, & Christus in nobis per fidem, *Gal. III. 26. 27.* imo regenti, i. e. in Christum credentes, *I Job. III. 9. 15.* dicuntur non posse peccare. Unde FORM. CONC. *Sol. Decl. Artic. IV. p. 701.* *Eorum operum, inquit, que revera bona sunt & DEO placent, que etiam Dominus tum in hoc, tum in futuro seculo vult remunerari, mater & fons est IPSA FIDES: unde & veri fructus fidei, sicut & fructus spiritus a D. Paulo appellantur Gal. V. 22. Fides enim (quemadmodum D. Lutherus in Prefatione Epistola Pauli ad Romanos scribit) est divinum quoddam opus in nobis, quod nos immutat, ex DEO regenerat, veterem Adamum mortificat, & ex nobis plane alios homines (in corde, animo, & omnibus viribus nostris) facit & Spiritum Sanctum nobis confert. Et est fides illa quiddam vivum, efficax, potens: ita ut fieri non possit, quin semper bona operetur. Neque fides querit demum, an bona opera sint facienda, sed priusquam de ea re inquiretur, jam multa bona opera efficit & semper in agendo est occupata. Qui vero non ad hunc modum bene operatur, is homo vera fide caret. Tam arcta igitur fidem inter & vitæ sanctimoniam connexio est. Quodsi itaque sacrosanctum hoc Epulum ac *μεγάλη Κυρία κυριακὸν δειπνον* adeo efficaciter in credentibus eoque digne utentibus operatur, ut fides ipsorum insigniter per id ipsum confirmetur, non potest non seria vitæ emendatio ac sanctitas,*

Etas, virtute hujus ejusdem sacramenti, majora subinde in iis capere incrementa, propter arctissimam hujus cum ista connexionem. Valebit enim omnino Canon: *Causa causa est etiam causa causati.* Optime hanc in rem BAJERUS *Disp. de Justific. & Renovat. Nexu & Discrim. S. 24.* scribit: *Sanguis Christi tanquam sanguis Θεωσώπης, per virtutem divinam & infinitam, in unione personali naturarum sibi communicatam, quando in Eucharistia realiter ac secundum substantiam ab homine fidei accipitur (concurrentibus spiritali ac sacramentali sumptione aut bibitione) in hominis fidelis animam sic operatur, ut dum fidem confirmat, & auget, simul charitatem aliasque virtutes Christianas excitet ac roborat; atque hac ratione vitia opposita magis magisque supprimat, minuat & in tantum tollat: donec, finita mortali vita, & collaro finaliter credentibus propter Christum lumine gloria, mens humana plene perficiatur, & radix peccatorum penitus tollatur atque extirpetur. Quod autem S. Coena ita in fidem influat, ante omnia evincendum atque stabillendum erit, praesertim cum hoc ipsum etiam a Fanaticis negatum videas.*

S. X. Quodsi forte quis quæreret, qui fiat istud? seu quis sit modus S. Coenae operandi in fidem? ejus curiositati reponendum foret, quod quondam Christus, de regeneratione disserens, Nicodemo, modum illius sciscitanti, respondebat, *Job. III. 8. Spiritus, ubi vult, spirat, & vocem ejus audis: atqui non scis, unde veniat, aut quo abeat: sic est omnis, qui generatus est ex Spiritu.* Est totus de Regeneratione Articulus mysterium, sunt causae omnes fidei supernaturales: ideoque obtinere hic debet vulgatum illud in mysteriorum expositione Theologorum effatum: Sufficere nobis debet *ἵνα*, etiamsi *ἵνα* ἴσως ignoremus. Non igitur plus quisquam a nobis postulare poterit, quam ut influxum Coenae in fidei confirmationem probemus. Probat autem eundem ipse Christus verbis institutionis *ll. cc.* corpus suum pro nobis traditum edere, sanguinemque suum pro nobis fufum in remissionem peccatorum bibere jubens. Jam vero unicum fidei nostrae fundamentum est corpus Christi pro nobis traditum, & sanguis pro nobis effusus in remissionem peccatorum. Cum igitur hoc corpore pro nobis tradito, hocque sanguine pro nobis effuso in Sacramento Coenae realiter ac quoad substantiam cibamur atque potamur, non potest non fides, alioquin ob  
C
residuam

residuam carnis infirmitatem, subinde languescens, majus inde robur accipere, novaque capere incrementa. Hinc enim certior fit homo fidelis, Christum in se, seque in Christo esse ac manere, *Job. VI. 56.* Quod si enim hic est effectus manducationis ac bibitionis spiritualis, erit multò magis conjunctæ cum spirituali manducationis ac bibitionis sacramentalis, utpote qua & ore corporis, corpus illud pro nobis traditum, & sanguis ille pro peccatis nostris effusus, quoad substantiam accipiuntur. Sic sentit homo fidelis, in individuo quoque sibi met applicari gratiam per Christum, corporis sui traditione ac sanguinis effusione partam, ut credens in eum remissionem peccatorum consequatur, æternam habiturus salutem. Ulterius hoc eo confirmatur, quod Christus edere corpus ac bibere sanguinem suum jubet, in sui recordationem. Ubi sine dubio *ἀνάμνησις* intelligitur, non mere theoretica & historica, sed viva, effe-  
 eax & practica, qua beneficia per Christum, corporis sui traditione sanguinisque effusione, nobis parta verâ cordis fiducia apprehendimus & tanquam nostra nobis applicamus, cogitantes, nos illud jam edere corpus, quod pro nobis traditum, ac eum bibere sanguinem, qui pro nobis effusus in remissionem peccatorum. Quo ipso fides in nobis ob-  
 gnatur, nutritur, augetur, ut majus ei robur accrescat. Nec minus influxum Cœnæ dominicæ in fidem nostram Paulus indicat *I. Cor. XI. 26.* *Quotiescunque comederitis hunc panem, & biberitis hoc poculum, mortem Domini annuncietis, donec veniat.* Ubi præcipue attendendum, Paulum simul explicare recordationem Domini in usu S. Cœnæ requisitam per annunciationem mortis ejus, indicante particula connectente *γὰρ*, ut fiat recordatio ejus non interna solum, sed & cum externa commonefactione conjuncta. Nimirum, ut Sacramento Eucharistiæ fruentes tum apud se mortis Christi recordentur, tum & apud alios prædicent, pro ea Ipsi gratias agentes: id quod in augmentum fidei omnino cedit, dum ex vera actualique corporis Christi pro nobis in mortem traditi, sanguinisque pro nobis in peccatorum remissionem in-  
 ata crucis effusi perceptione, fideles certissimi redduntur, quod ipsis donentur ac in singulari applicentur omnia, quæcunque Christus traditione corporis sui, sanguinisque effusione nobis promeruit.

S. XI. Quæcum clarissima fiat, ut cuilibet in timore Domini rem pensitanti, nec anticipatis opinionibus pervicaciter indulgenti, satis esse queant, plura nunc accumulare argumenta nolo, ipsum jam,  
 quæ

quæ principalis dissertationis nostræ thesis est, Cœnæ Dominicæ in vitæ sanctimoniam influxum probaturus. Præsupposui ante §. 9. ar-  
 ctissimum, qui fidem inter ac vitæ sanctimoniam est, nexum, unde,  
 probato, S. Cœnam influere in fidem, simul probatum haberi possit,  
 eandem in vitæ quoque sanctimoniam influere. Nam & Act. XV. 9.  
 DEUS dicitur per fidem mundare corda hominum. Fides etenim, in  
 ordine ad vitæ sanctimoniam, partim intellectum determinat ad assen-  
 sum, ut omnibus Scripturæ dictis in universum, sic speciatim promissio-  
 nibus Evangelicis, præbendum, e quibus conclusiones practicas agen-  
 da & omittenda præscribentes eliciat, ut iudicio intellectus practico  
 ad eadem voluntas impellatur. Atque sic fides ad vitæ sanctimoniam  
 se habet, sicuti scientia de virtutibus ad habitum virtutum, harumque  
 exercitium & actiones. Partim voluntatem ipsam eò inclinât ac mo-  
 vet, ut quod intellectus illuminatus iudicio practico rectum & bonum  
 iudicavit, appetat; quod ille malum DEOque adversum cognovit, a-  
 verteretur ac fugiat. Fiducia quippe ad amandum DEUM, eique obe-  
 diendum voluntatem suaviter excitat atque inclinât. Quibus actibus  
 crebrius repetitis, voluntati major indies promptitudo, quod rectum  
 est, agendi conciliatur, variazque virtutes Christianæ acquiruntur, qua-  
 rum radix, fons atque scaturigo itaque fides est. Nam quoad vires,  
 dispositiones ac habitus spirituales eodem modo rem comparatam esse,  
 ac in naturalibus, ut exercitio crebriori majorem in promptitudinem  
 crescant, in propatulo arbitramur esse. Quapropter nullum dubium  
 erit, quin S. Cœna, dum fidem confirmat ac auget, etiam vitæ san-  
 ctimoniam confirmet augeatque. Sed operæ pretium erit, hoc specia-  
 lius probasse.

§. XII. Ubi mox iterum succurrunt verba institutionis ipsius  
 Christi, & additus ipsis Cœnæ tum institutz finis: *Hoc facite in meæ  
 commemorationem, Luc. XXII. 19.* cum monito Paulino de annuncia-  
 tione mortis Domini, *1. Cor. XI. 26.* Jam velim, conferatur cum hisce  
 locus *1. Petr. II. 21. -25.* *Christus*, inquit Apostolus, *passus est pro  
 nobis, nobis relinquens exemplum, ut subsequamini vestigia ipsius.  
 Qui peccatum non fecit, neque inventus est dolus in ore ipsius: Qui,  
 cum malediceretur sibi, maledicta non regeffit, cum pateretur, non  
 comminatus est: tradidit vero Ei, qui iudicat iuste: Qui peccata*

*nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiae viveremus.* Nunc quaeso Te, numne, quod in S. Coena sumimus, corpus, & quem haurimus, sanguis Christi, dum recordationem ejus in nobis operatur, ut mortem ipsius annunciemus, simul etiam operetur in vitae sanctimoniam? Accipimus enim id ipsum corpus, in quo peccata nostra pertulit super lignum, & sanguinem bibimus cum ipsum, quem passus pro nobis effudit. Sed passus pro nobis exemplum reliquit, ut vestigia ejus subsequeremur, & peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiae viveremus. Quis igitur dubitaret, Christum corpore suo, quando id nobiscum in usu S. Coenae unitur, in nobis effecturum, quod ejus traditione intendit, ut, incrementis sanctimoniae collatis, & auctis ad ipsum viribus spiritualibus, exemplum illius subsequentes iustitiae vivamus? Nam iustitiae vivere hic idem est, quod Rom. VI. 11. 18. 19. Paulo est vivere DEO (in oppositione ad mortem peccati) per Jesum Christum Dominum nostrum, item servum esse iustitiae, & sistere membra serva iustitiae in sanctificationem. Quod si quis forte dixerit, argumentum hoc equidem morale quoddam motivum suppeditare, quod persuadendo voluntatem impellere ac excitare queat, ut sanctimoniae studium magis prosequatur, haud vero influxum Coenae Dominicae probare, qui physico sit influxui analogus, ita ut ipsa in vitae sanctimoniam operetur, quin majora ejusdem incrementa producat; is, velim, attendat, corpus Christi porrigi nobis, & sanguinem ejus propinari similem in sinem, ad quem pane naturali eibamur, naturalique vino potamur. Hujus autem effectus, quem producit, est nutritio atque refocillatio corporis ac virtutum istius naturalium: quapropter etiam corpus & sanguis Christi novum in nobis hominem nutrit, viresque spirituales desuper in nos collatas recreat, sustentat, ac majus iisdem incrementum conciliat roburque, quod clarius cum hocce conjunctum sequens argumentum evincet.

§. XIII. Joh. XV. 4. 5. Christus: *Manete in me, ait, etiam ego in vobis: quemadmodum palmes non potest fructum ferre à se ipso, nisi manserit in vite: ita neque vos, nisi in me manseritis: Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & Ego in illo, hic fert fructum multum: quis sine me non potestis facere quicquam.* Quibus verbis clarissi-

clarissime indicat, nullam sine se vitam spiritualement esse, ita quidem, ut, quicquid est spiritualis vitæ in hominibus, quidvis fructuum bonorum ab illis profertur, id omne ab ipso, tanquam a causa efficiente ortum & esse suum habeat, non exclusis tamen reliquis personis, cum & Patri v. 2. satis clare hæc vis & operatio adscribatur, & quæ ad vitæ sanctimoniam pertinent Gal. V. 22. fructus Spiritus dicuntur. Est enim eadem omnium personarum divinarum ad extra operandi potentia, ideoque & operatio una eademque. Quodque influxus ille sit mysticus, physico influxui analogus, patet ex similitudine vitis, cui se Christus comparat ratione virtutis, efficacitæ ac operationis in palmites ad eorummet fructificationem. Jam neminem, arbitror, fore, qui naturalem vitis in palmites influxum, ut fructum producere queant, negare audeat. His namque ab illa succus nutritius communicatur, unde eorum & sustentatio, & incrementum, & virtus fructificandi omnis. Abscissus enim à vite palmes è contrario arefit, omnî fructificationis vi sublata, ad quod etiam v. 6. respicitur. Eodem igitur modo etiam Christus, ceu vitis, influit in fideles, tanquam palmites, largiendo ipsis vires spirituales fructus Spiritus ferendi, quamdiu in ipso, & ipse in illis manent. Jam verò *Job. VI. 56.* dixit Salvator: *Caro mea est verè cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & Ego in ipso.* En igitur! per usum fidelem S. Cœnæ, utpote in qua corpus ejus manducamus, & sanguinem ipsius bibimus, Christus in nobis manet, nosque manemus in eo. Licet enim sermo hic proximè sit de manducatione atque bibitione spirituali, quæ fide fit, haud tamen Sacramentali eam virtutem propterea quis denegare poterit, cum istæ sibi oppositæ non sint. Potius, si spiritualis manducationis ea est efficacia, erit etiam omnino sacramentalis, propter illius cum hæc conjunctionem. Non enim, nisi in credentibus & dignè edentibus atque bibentibus, S. Cœnam isthunc influxum in vitæ sanctimoniam actu secundo præstare, supra suppositum est. Sic igitur corpus & sanguis Christi est succus ille spiritualis vitam nostram spiritualement nutriens, conservans & augens, imò fructuosam reddens, ut fructus bonorum operum multos producat. Quî ergo negari poterit, Cœnam dominicam influere in sanctimoniam vitæ?

§. XIV. Accedit, quod eodem *Joh. VI. 51.* Christus edixit ipse: *Ego sum panis vivens, qui e caelo descendit: si quis comederit ex hoc pane, vivet in seculum. Panis vero etiam, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Attendendum probe hic est, loqui Christum de carne sua, quam pro mundi vita daturus tum erat, nunc autem revera dedit, i. e. de corpore suo, in quo peccata pertulit, cruci affixo & morti tradito pro peccatis nostris. Hanc suam carnem vocat panem viventem, adeoque ut actu primo vivens est, virtute & efficacia operandi pollentem; ut actu secundo, efficaciter operantem. Quid autem operari possit ac operetur, exprimit verbis: *Si quis comederit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Sed verò vitam aeternam nemo vivet, nisi ante & hic vixerit vitam spiritualem. Vita quippe gloriae vitam gratiae, ad quam & sanctificatio pertinet, praesupponit, & per hanc ad istam, tanquam in via, ambulandum est. Sic enim *Ebr. XII. 14.* admonemur: *Sequitur sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum.* Non quod vitae sanctimonia ullam ad vitam aeternam causalitatem habeat: id quod à Nostris contra Pontificios abunde evidetur; sed quod ex voluntate DEI ordine antecedere debeat, removeatque salutis impedimenta. Vel ut alias loqui solent: Sanctimonia ante beatificam DEI visionem requiritur necessitate non efficientiae, sed praesentiae tantum. Praesupposito igitur, vitam aeternam ordinarie nemini contingere sine praegressa sanctimonia vitae; praesupposito item, carnem Christi verà in fide comedentes vivere in aeternum; necessario sequitur, carnem Christi in iis, qui eam dignè comedunt, sanctimoniam operari. Qui enim consequens vult, is etiam antecedens velit, oportet, & causa consequentis etiam antecedentis causa erit, cum istud sine hoc non ponatur. Jam verò in S. Coena manducamus carnem Christi eam ipsam, quam se daturum dicebat, nunc verò jam dedit, pro vita mundi. Quapropter eam, quam in Sacramento Coenae accipimus, carnem Christi in vitae sanctimoniam influere, necesse est. Et hunc influxum physico analogum esse, nemini dubium erit, qui panis naturalis in nostri nutrimentum, augmentationem atque robur influxum non ignoraverit. Nam caro Christi dicitur panis vivens, quem comedentes in seculum vivunt: ideoque panis & carnis Christi, ratione virtutis, & influxus in effectum suum, & nutritionis analogia est.

§. XV.

S. XV. Simile pene huic argumento aliud suppeditatur ab influxu capitis in corpus ejusque membra. Comparatur nimirum Ecclesia corpori, cujus membra sunt fideles in ea existentes, qua de comparatione plenissime pariter ac elegantissime Paulus agit *1. Cor. XII. 22. - 28.* Caput autem mystici hujus corporis Christus est, *Ephes. I. 22. V. 23. Colos. I. 18.* Dicitur autem caput Ecclesiae Christus, non solum ratione dignitatis, praestantiae ac potestatis, seu quod primas tenet atque dominium in Ecclesiam, quemadmodum hoc sensu maritus etiam dicitur caput uxoris, *Eph. V. 23.* verum etiam ratione virtutis & influxus spiritualis in eandem. Quemadmodum enim e capite, in quo sedes animae rationalis est, & e quo spiritus vitales in membra corporis diffunduntur, in corpus ejusque membra sensus, motus, vigor ac vita defluit; sic a Christo capite omnis spiritualis vigor, motus, vita & omne bonum in Ecclesiam, corpus ejus, omniaque illius membra fluit ac derivatur: qua de re conf. RAVANELLI *Biblioth. S. voc. Ecclesia num. II.* Ad hanc enim analogiam h. l. pro praesente materia, tantum respicere opus est, cum alioquin omnino subscribimus SCHMIDIO *Comment. in Ep. ad Col. I. 18.* scribenti: *Certe, quando naturam capitis Ecclesiae exponere volumus, non nude barere debemus in similitudine cum capite corporis humani; sed eò potissimum respicere, quali capite corpus Ecclesiae indigeat; nimiram quod corpus sibi formet, conservet, vivificet, regat, crescere faciat, & tandem consummet plena perfectione. Caput est, quod simul anima est, caput, sic dicam, animatum & vivificum; seu sedes vitae & omnium facultatum est, quibus corpus, Ecclesia, donari debet. Ex eo vero, quem diximus, Christi in Ecclesiam ejusque membra influxu profluxit monitum Pauli *Eph. IV. 15. sqq.* *Sine furo existentes in dilectione crescimus in ipsum per omnia, qui est caput, Christus: ex quo totum corpus probe coagmentatum & coherens per omnes juncturas subministracionis, juxta efficaciam in mensura unius cujusque partis, augmentum corporis faciat, in edificationem sui ipsius in dilectione, &c.* Ut caput influere possit in corpus, necessaria est hujus cum illo conjunctio & unio: ita & nos cum Christo, Capite nostro, uniri oportet, si ab illo influxum in vitam nostram spirituales expectamus. At verò in S. Coena cum Christo jungimur, quando corpus ejus & sanguinem accipimus ac in nos transferimus comeden-*

do

do atque bibendo : ideoque Cœna Dominica influit in vitam nostram spiritualement, quâ fidem non solum, sed & sanctimoniam vitæ.

S. XVI. Confirmat etiam thesin nostram Paulinum illud *1. Cor. X. 17.* *Quia unus panis, unum corpus multi sumus; omnes enim ex uno pane participamus;* quo usus S. Cœnæ ceu Sybolum quoddam charitatis erga proximum mutuaque dilectionis sistitur, ut scilicet, *sicuti*, liceat mihi cum AUGUSTINO *Tr. 26. in Evang. Joh.* loqui, *panis ex multis granis & vinum ex multis acinis conficitur;* ita & similiter figurative harmonia credentium inter sese adumbretur. Non verò Sacramentum Eucharistiæ solummodo symbolum est mutua Christianorum dilectionis, sed observandum etiam venit, quod pani huic abs Paulo nominato vere quoad substantiam sacramentaliter unitum sit corpus Christi, uti vino sanguis ipsius, quæ singulos credentes tanquam membra sub uno capite uniendo virtutem verè habeant. Nam Apostolus *αἰτιολογικῶς* pronunciat: *Quia unus panis, unum corpus multi sumus, omnes enim de uno pane participamus;* apertissime demonstrans, non solum signum adumbrans; sed etiam medium conjunctionis nostræ cum Christo capite, adeoque mutua inter nos ipsos, (dum enim cum capite membra omnia coherent, etiam inter sese conjuncta sint, necesse est) Sacramentum Cœnæ existere. Quamobrem non licet hic cum CORNEL a LAPIDE & ESTIO *Comm. in b. l.* excipere: Agi hoc loco non de unitate communicantium inter se, sed cum Christo. Ut ut enim posterius ex collatione v. 16. & 18. affirmare habeamus; tamen nec prius tanquam necessarium istius consequens negari poterit, idque potissimum ob locum *1. Cor. XII. 13. ubi omnes in unum Spiritum potati dicimur.* Quanquam enim BOTSACCUS *Moral. Gedan. voc. Potus p. 861. a.* ad præfigurationem donorum spiritualium hunc locum referat; nihil obstat tamen, quo minus de ipsius sanguinis Christi potu in S. C. intelligatur. Nam de Baptismo proprie ac specialiter accepto, fluminis nimirum, Paulum h. l. loqui, patet ex collatione, *Gal. III. 27. 28.* Quapropter etiam de potu Sacramentali in S. Cœna intelligendus erit. Benè hinc CALIXTUS *Expos. Literal. in Epp. ad Corinth. b. l. παραφράσεις:* omnes nos in uno Spiritu, hoc est, virtute unius regenerantis & renovantis nos Spiritus, omnes nos in unum corpus baptizati sumus, hoc est per Baptismum facti sumus membra unius corporis, cujus caput est Christus

stus. Et omnes potati sumus in unum spiritum. Respicit sine dubio ad alterum Novi Testamenti Sacramentum, & sicut aliàs à priori parte sive specie, (manducatione nempe sacramentali) ita nunc à posteriori (potu scilicet sacramentali) id denominat, quasi dicat: Omnes eundem Christi sanguinem hausimus, ut participes redderemur unius spiritus ipsius, qui per omnia membra commens, illa vivificet, & inter se mutuà charitate conjungat. Demonstrat igitur Paulus, quod virtute & efficaciâ S. C. credentes unius Spiritus magis magisque participes reddantur, ut pereum, omnia corporis mystici membra unientem & vivificantem, singulorum una sit mens, unus animus, unum omnium erga se invicem benè operandi propositum. Nam emphaticus ille loquendi modus: in unum Spiritum potati sumus, finem & effectum indicat, proindeque veram atque propriam amoris, totius sanctimoniam vitæ epitomes, efficientiam evincit. Concludimus ergo hoc argumentum verbis CHEMNITII de Fundament. S. Coenæ C. XI. p. 74. b. Quia Christus in Coenâ, ea natura, quæ caput nostrum est, corpore scilicet & sanguine suo, se arctissimè nobis conjungit, simul etiam per assumptam illam suam & nobis cognatam naturam, potenter & efficaciter in credentibus operabitur, ut quia ipsum caput est in nobis, nos etiam invicem femus alter alterius membra.

§. XVII. Unicum adhuc addemus argumentum, ab analogia & connexionione Sacramentorum, Baptismi & Coenæ Dominicæ, desumptum; Baptismus namque initiationis, S. Coenâ verò confirmationis Sacramentum est: ideoque hæc, quod iste confert, confirmat. Confert autem Baptismus cum fidem, tum vires sanctè vivendi. Est enim Lavacrum non Regenerationis solùm, sed etiam Renovationis in Spiritu S. Tit. III. 5. Sunt, qui, cum sequentia prædicata, quando nimirum v. 7. dicitur: ut justificati illius gratia hæredes simus secundum spem vitæ æternæ, solam receptionem in gratiam divinam, non vitæ sanctimoniam respiciant, siquidem renovatio nos non justificat, nec hæredes efficit vitæ æternæ; locum hunc proximè non de renovatione sanctimoniam operante loqui, existimant, sed de justificatione potius, Apostolumque voces: Regenerationis & Renovationis, per ενεξήγησιν conjungere, ut eò significantius exprimeret naturam & indolem spiritualis vivificationis, cujus homo per Baptismum particeps fit, è gentili & natural-

turali Christianus atque spiritualis factus, quasi de novo genitus novamque vitam adeptus, per quam fiat hæres vitæ æternæ. Concedunt interim illi ipsi, renovationem illam, qua vita nobis redditur, i. e. justificationem, simul per vitam illam vitales in nobis actiones, i. e. sanctimoniam & bona opera excitare. Atque sic hæcenus quoad thesin nostram nobiscum faciliè conciliantur, quoniam nihilominus tamen mediatum agnoscunt Baptismi in vitæ sanctimoniam influxum, siquidem causa causæ est etiam causa causati. Interim tamen nihil ob stare nobis videtur, cur non cum plerisque Renovationem hic intelligamus strictè dictam, virium scilicet sancte vivendi, sublato dominio peccati, collationem. Nam per Baptismum fieri hanc renovationem clarissime constat ex *Eph. V. 26. 27.* dum Christus Ecclesiam dicitur sanctificasse & mundasse lavacro aquæ in Verbo, ut sifteret eam sibi sanctam & irreprehensibilem, nunc quidem, quatenus præfens illius status atque conditio permittit, inchoative, olim verò, abolita penitus hac imperfectione, perfecte atque consummative. Quod autem dubium istud attinet, Renovationem strictè dictam non esse causam justificationis & hæreditatis vitæ æternæ; verissimè quidem hæc thesis ita se habet: attamen nec illud ex verbis Paulinis sequitur. Liceat enim mihi ad hæc respondere verbis QVISTORPII Annot. in Libr. Bibl. ad h. l. *Non hic renovationi, seu vitæ sanctimonia salutem tribuit Apostolus, sed Baptismo tanquam salutis à Christo medio constituto, per hunc nos salvari affirmat. Sic I. Petr. III. 21. Baptismus nos salvos facere: & Rom. I. 16. Evangelium potentia ad salutem dicitur. Describit autem hic Baptismum ab effectu ejus gemino, ut sit (1.) Lavacrum regenerationis, per quod ex filiis iræ simus filii DEI, (2.) Lavacrum renovationis, per quod regenerati renovamur, ut vitæ novitati studentes, ceu filios DEI decet, vitam sanctam & inculpatam, quantum quidem hæc imbecillitas patitur, geramus. Falluntur igitur, qui vocibus regenerationis & renovationis justificationis nostræ partes indicari putant. Nimirum, salvat nos DEUS per lavacrum regenerationis, & jam regeneratis atque salvatis (nam regeneratio naturâ nostroque concipiendi modo, renovatione prior est, illaque justificationem antecedit, hæc verò sequitur) idem illud lavacrum, quo regenerati sumus, etiam præterea lavacrum renovationis existit.* Quibus præsuppositis, ostenso item

§. VIII. Cœnam Dominicam Sacramentum confirmationis esse, sequitur, S. Cœnam dona spiritualia per Baptismum collata in nobis confirmare. Quemadmodum igitur Baptismus influit in vitæ sanctimoniam, vires spirituales ad eam conferendo; ita & S. Cœna in eandem influit confirmando. Utrunque suo tamen ordine: ut, quemadmodum Baptismus nonnisi in jam regenitis ac fide donatis renovationem operatur; sic & Cœna Dominica nonnisi in credentibus sanctimoniam vitæ confirmet. Verè tamen ac realiter, uti Baptismus fidem dat, ac mediante fide vires sanctè vivendi; S. Cœna fidem confirmat, ac mediante fide sanctimoniam vitæ. Sicque verus atque realis est Cœnæ Dominicæ in vitæ sanctimoniam influxus. *Dans etenim formam, (fidem, Christianorum formam, Gal. III. 26.) dat etiam consequentia forma. (vitæ sanctimoniam, necessarium consequens fidei, Gal. V. 6. Jac. II. 17. 26.)*

§. XVIII. Atque sic hætenus influxum S. Cœnæ Dominicæ in vitæ sanctimoniam sufficienter demonstratum arbitramur, quibus, argumentorum non tam numero, quam pondere ac probandi virtute pugnandum esse, certum est evictumque. Doctrinæ autem hujus veritatem tueri, maximè necessarium est, partim ut os obturetur iis, qui criminari non verentur, nos nostra de absolutione & usu S. Cœnæ doctrinâ impietati hominum largam aperire portam, & in improbitate sua eosdem, securos redditos, confirmare magis, quàm ab ea abducere. Partim propter perversitatem hominum atque malitiam in pejus semper ruentem, qui gratiam DEI nostri transferunt ad lasciviam, *Jud. v. 4.* libertate per Christum partâ & in S. Cœna nobis obsignatâ abutentes, tanquam velamen habentes malitiæ libertatem, *I. Pet. II. 16.* Ut intelligant isti, falsò nobis ab ipsis imputari, quasi nostrâ in Ecclesiâ hominibus per usum S. Cœnæ in peccatis pergendi occasio detur, de vitæ sanctimonia sectanda vel plane non, vel non sufficienter monitis; hi verò admoneantur, ut ea intentione ad hoc Sacramentum accedant, qui finem illius consequantur, in quem institutum a Christo est, eoque magis sollicitè studeant sanctæ vitæ, quo certiores fiunt, S. Cœnam vires ad illam, licet subinde languescentes, refocillare, confirmare atque augere. LUTHERUS *Comment. in Ep. ad Gal. C. V. 14. Tom. IV. opp. Lat. Jen. f. 137. a.* *Æque, scribit, necessarium est, ut pii doctores tam diligenter urgeant doctrinam de bonis operibus, quam doctrinam*

de fide: Satan enim utrique infensus est & acerrimè resistit. Fides tamen primùm plantanda est. Sine ea enim impossibile est intelligi, quid bonum opus sit, quid DEO placeat. Experientia docuit, inchoatâ modo Ecclesia Christianâ, & Apostolis adhuc viventibus, surrexisse non solum, qui opera unice urgebant, non habitâ fidei ratione, verùm etiam ex adverso, qui fidem sic commendabant, quasi operum & vitæ nulla sit ratio habenda, prouti videre datur Jac. II. 14. sq. ut reliquorum Apostolorum Epistolicas ad sanctitatis studium adhortationes, Nicolaitas item & Simonis Magi asseclas taceamus. Quamobrem & Paulo, quo nemo Θεοπνεύτων Scriptorum pro justitiâ fidei magis decertat, solenne est, in Epistolis suis doctrinâ de fide jungere paræneses ad vitæ sanctimoniam, idque in ipsis illis duabus ad Romanos & Galatas, in quibus doctrinam de salute per solam fidem impetrandâ ex instituto multisque argumentis inculcat atque defendit. Sic igitur etiam de S. Coena statuamus, oportet, quod fidem non solum confirmet, sed & in vitæ sanctimoniam influat, quo eâ utentes officiorum nostrorum recordati, tantò magis sanctimoniæ studiosi vivamus. Qui vero contrarium vel nobis imputant, vel sibi persuadent, nã, illos, ni forte pervicax malitia eosdem agitaverit, nec Libros nostros Symbolicos legisse, nec Canticles & precum formulis in Ecclesia nostra usitatis, imo nec verbis applicativis, queis Sâcramentum hoc administrantes utuntur, attendere oportet. In istis enim omnibus sole meridiano clarior elucescit, unanimum hanc Ecclesiæ nostræ, de Coenæ Dominicæ in vitæ sanctimoniam influxu & operatione, doctrinam esse.

§ XIX. Audi, sis, Libros Ecclesiæ nostræ Symbolicos, ubi AUG. CONF. Art. XIII. generatim quidem: de usu Sacramentorum (Ecclesiæ apud nos magno consensu) docent, quod Sacramenta instituta sint, non modò ut sint nota professionis inter homines, sed magis, ut sint signa & testimonia voluntatis DEI erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui utuntur, proposita. Quod verò fidem, idem & vitæ sanctimoniam confirmare, supra diximus. CATEGH. MAJ. de Sacram. Altar. p. 556. ita pronunciat: jure optimo (Sacramentum Altaris) cibus animæ dicitur, novum hominem alens & aqua farrificans. Per Baptismum enim initio regeneramur, verum nihilominus antiqua & vitiosa cutis carnâ & sanguinis adha-

ret homini. Jam hic multa sunt impedimenta & impugnationes, quibus cum a mundo, tum a diabolo acerrime infestamur, ita ut non raro defessi viribus deficiamus ac nonnunquam etiam in peccatorum sordes prolabamur. Ideo hoc Sacramentum tanquam pro quotidiano alimento nobis datum est, ut hujus esu fides iterum vires suas repararet atque recuperet, ne in tali certamine aut tergiversetur, aut succumbat denique, sed subinde magis atque magis fiat robustior. Etenim nova vita sic instituenda est, ut assidue crescat, & porro pergendo incrementa accipiat. Verum huic contra multa passiones exhaurienda sunt. Tanta enim est iracundia inimicus noster diabolus, simul atque conspexerit nos adversus se niti, & hominem veterem injecto freno coerceri, ut ille nos vi nequeat opprimere, tum ab omni parte postis insidias occulte irrepens nos adoritur, omnes suos nervos intendens, omnes suas artes experiens, nihil non fallaciarum conans, nec prius abstitit, quam nos denique extrema lassitudine defessos fecerit, ut aut abjecta (quod ajunt) hasta fidem deseramus, aut omni desperata repugnandi fiducia tadiofi aut impatientes fiamus. Ad hoc jam datum est solatium, & hac presentaria animi levatio adornata, ut cum cor senserit, se nimia impugnatione premi, hic vires & refocillationem quærat & auferat. Iterumque p. 565. Ii vero, qui sue carnis infirmitatem sentiunt, eaque libenter exonerati essent, quærentes auxilium, non aliter intueri debent & uti, (S. Cæna) atque preciosissima tyriaca, aut antidoto presentissimo, adversus omnia venena, quibus infecti sunt. Pariter etiam FORM. CONC. Sol. Declar. p. 737. dicitur Christus augustissimum hoc Sacramentum ordinasse, quod perpetuam acerbissimæ passionis & mortis, & omnium beneficiorum ejus monumentum futurum erat, simulque obsignatio & confirmatio Novi Testamenti, solatium omnium perturbatarum conscientiarum, firmum vinculum societatis Christianæ & cum capite suo Christo, & inter se invicem, conjunctio ætissima. Et p. 744. posteaquam de spiritali manducatione corporis Christi, quæ spiritu & fide in prædicatione & meditatione Evangelii fit, actum fuerat, pergitur: Altera vero manducatio corporis Christi est sacramentalis, & ore fit, quando in sacra Cæna verum & substantiale corpus & sanguis Christi, ore accipiuntur atque participantur ab omnibus, qui panem illum benedictum & vinum in Cæna

*Dominica edunt ac bibunt. At pii quidem corpus & sanguinem Christi in certum pignus & confirmationem accipiunt, quod peccata ipsi certo sint remissa, & quod Christus in ipsis habitet atque efficax esse velit.* Quin & simpliciores inter nos ad quaestionem: Warum wilt du zum Sacrament gehen? e Catechismo suo respondere docti sunt: Nuffdas ich lerne glauben, daß Christus um meiner Sünde willen aus grosser Liebe gestorben, und darnach von ihm auch lerne, Gott und meinen Nächsten lieben! Quæ verba quidem influxum S. Coenæ, qualem hic adstruimus, in vitæ sanctimoniam disertè non significant, quin imitationem tantùm proximè indicare videantur; neuiquam tamen eum excludunt aut negant, ut potius, juxta superiora, supponant. Nihil namque a nobis DEUS requirit, ad quod non vires largiri velit.

S. XX. Quodsi ad precum formulas respicimus, recepta est ac usitata in Ecclesia nostra, peractâ Sacramenti administratione, gratiarum actio, quam præeunte clara voce Ministro Ecclesiæ, communicantes in communi Domino offerunt: Wir danken dir Allmächtiger Herr Jesu Christe, daß du uns durch diese heylsame Gabe deines Leibes und Bluts hast erquicket, und bitten deine Barmherzigkeit, daß du uns solches gedeyen lassesst / zu starcken Glauben gegen dir / und zu feuriger (brünstiger) Liebe unter uns allen etc. (vid. Mecklenburg. Nevid. Kirchen-Ordnung Tit. von Ceremonien s. 157. b.) Ecce hic influxum & operationem efficacem Coenæ dominicæ assertam! Similisque illi tribuitur & in eadem & in vitam sanctam influxus. Pertinet huc etiam devotionis plenum illud Canticum Ecclesiasticum: O Jesu du mein Bräutigam etc. quod abs Joh. Hermanno compositum fertur, cujus v. 9. canitur: Hilf, daß durch dieser Mahlzeit Krafft das Böß in mir werd abgeschafft! Ubi per ablationem mali non intelligi moralem illam, quæ fit in justificatione, per remissionem peccatorum, sed internam, qua quoad rem ipsum malum auferatur, agnoscitur ex verbis immediatè nexis: Erlassen alle Sünden-Schuld; quæ remissionem peccatorum in justificatione cum renovatione conjungunt. Nec est, quod excipiat: inverti sic ordinem actuum gratiæ divinæ, quapropter vel posteriora verba prioribus ἐπιτηδεύουσας addita censerì debeant, vel minùs ortho-

xē sic canatur. Ut enim non dicam, Autorem Cantici hujus procul dubio integrum S. Coenæ effectum, quem in negotio renovationis pariter atque justificationis habet, exprimere voluisse; quilibet facili negotio videbit, non nisi propter rythmum ordinem hunc inversum esse, cujus propterea Poëtæ non semper observantes esse possunt. Sufficit rem ipsam proponi, licet non in naturali ordine suo. Hunc enim nec ipsa Scriptura semper tenere deprehenditur, v. gr. 1. Cor. I. 30. 2. Cor. XIII. 13. Adscribunt autem hæc verba sanctissimo huic epulo virtutem & efficaciam promovendi sanctimoniam vitæ. Et quanquam negativè tantum loquantur, de remotione mali, hæc tamen cum positivè boni conjunctissima est, ut quantum illud decrevit, tantum hoc crescat, dicente Paulo 2. Cor. IV. 16. *Quamvis externus noster homo corrumpitur, internus tamen renovatur in dies singulos*: quemadmodum in oppositis se invicem subjecto tollentibus, etiam in naturâ, fieri solet. Unicum addendum videtur, nempe quod hæc verba secundum modò allegatum dictum Paulinum capienda sint. Licet enim in alterâ vitâ totaliter abolebitur a nobis peccatum, & imago divina perfectè restaurabitur, Rom. VIII. 29. 1. Job. III. 2. quamdiu tamen hæc vivimus vitam, in imperfectiōne manebimus, ceu supra S. V. jam monitum, donec advenerit, quod anhelamus, perfectum. Sensus proinde hic est, quod precemur, ut virtute & efficaciâ S. Coenæ dominicæ peccatum semper in nobis magis magisque infirmetur atque debilitetur, quò sanctimonia eâdem Coenæ virtute in nobis augeatur, indiesque crescat.

§. XXI. Verba tandem applicativa quod attinet, quibus Ecclesiæ Ministri in dispensando ac distribuendo erga singulos communicantes utuntur, diversa quidem, si verba in se ipsa respicias, in Agendis Ecclesiasticis diversarum terrarum præscripta deprehendere datur; in sensu tamen ubique conveniunt, ut virtus & effectus Sacramenti Coenæ iisdem indicetur. Quoniam verò prolixum forte nimium foret, quin & parum conducere posset, plurium Constitutionum propria hic allegasse verba, solæ sufficiant nobis Constitutiones Ecclesiasticæ Patriæ nostræ. Ubi quidem nullam expressam, quam adhibere administrantes debeant, formulam præscriptam invenimus; usitatum interim semper fuit, Ministros cuique communicantium corpus Christi in, cum  
&

& sub pane, sanguinemque illius in, cum & sub vino porrigentes, votum addere; das Stärke (vel Stärke und erhalte) euch in wahren Glauben zum ewigen Leben. Quibus verbis etiam si Coenae in vitae sanctimoniam influxus mentio disertè non fiat, necessariò tamen subintelligitur, ob connexionem, juxta superiora, inter utramque necessariam. Posteaquam autem Elucidatio harum Constitutionum, die Erläuterung der Fürstl. Mecklenb. Kirchen-Ordnung/Regnantis quondam Ducis Mecklenburgici, Serenissimi Principis ac Domini, DN. FRIDERICI WILHELMII glor. record. auspiciis & autoritate publicata fuit, juxta praescriptionem illius *Art. II. pl. D. fol. 3. b.* Ecclesiarum, in hisce terris Serenissimo Principi nostro subjacentibus, excepto Rostochio, Ministri Sacramentum Altaris dispensantes verbis applicativis: Nehmet hin und esset (trinctet) annectunt: Der (Leib Christi) item das (Blut Christi) Stärke euch im Heil. Glauben und Christlichem Wandel zum ewigen Leben! Quibus in verbis duo attendi merentur. Unum, quod influxus S. Coenae in sanctimoniae confirmationem ac confortationem expresse asseritur: id quod per praecedentia argumenta jam extra dubium positum erit. Alterum, cum dicitur S. Coena nos confortare in sancta fide & vita Christiana ad vitam aeternam; quae verba aliquid obscuritatis habere videri possunt, ac si vitae Christianae aequae ac fidei causalitatem quampiam in ordine ad vitam aeternam adscribant: quapropter expositione opus habent, quam & Ecclesiae Ministros Auditoribus suis subinde dare ac inculcare, nulli dubitamus, Non autem mens horum verborum est, ullam vitae Christianae ad vitam aeternam obtinendam necessitatem causalitatis adscribere, sed tantum indicare volunt, salvandis vitam Christianam necessariam esse, non ad salutem consequendam, non ad eandem promerendam, non ad conservandam; sed necessitate mandati, debiti, praesentiae, ordinis & consequentiae ad justificationem & fidem: prout loquitur KOENIGIUS *Theol. Pos. Acroam. Part. III. §. 925.* Ad exprimendum unanimum cum FORM. CONC. *Epit. Art. IV. num. 3. & 4. p. 559.* consensum, cujus verba sunt: *Cremus, docemus, & confitemur, omnes quidem homines, praecipue vero eos, qui per Spiritum Sanctum regenerati sunt & renovati, ad bona opera facienda debitores esse.* Et in hac sententia vocabula illa (necessa-

cessa-

ecessarium, debere, oportere) recte usurpantur, etiam de renatis hominibus, & cum forma sanorum verborum non pugnant. Paucis ut dicam: Eodem modo hæc intelligenda sunt verba, prout supra §. XVII. dictum illud Tit. III. 5, 6, 7. verbis Quistorpianis expositum est. S. Coena confirmat nos in fide, tanquam causa ejus, ad vitam æternam, & hos ipsos in fide confirmatos confirmat etiam in necessario fidei consequente, sanctimonia, quæ vitæ æternæ prior est, & sine qua nemo Dominum videbit, Ebr. XII. 14. Ut igitur sensus verborum sit: Das Stärke euch im Heil. Glauben (tanquam causa, meriti Christi, seu causæ salutis meritorix, apprehensiva) und Christlichem Wandel, (tanquam ordine, via, cui fideles insistere tenentur & consequente fidei effectu) zum ewigen Leben. Neque præpositio zu semper & ubique est nota effectus indicativa, sed sæpe etiam nudum terminum ad quem indicat, qui ab altero respicitur modo quocunque. Neque à Scripturâ S. hæc locutio aliena est, quin Paulus, ut non totidem verbis, eodem tamen sensu, Rom. VI. 22. scribat: Jam verò liberi facti a peccato, servi verò facti DEO, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem autem vitam æternam. Ubi vocabulum finis non sumitur strictè, quasi sanctificatio medium sit vitæ æternæ, sed latè sumtum indicat tantum terminum ad quem sanctificationis ordine antecedentis. Mox enim v. seq. additur: Donum DEI vita æterna in Christo Jesu Domino nostro. Conf. QVENSTEDIUS Syst. Theol. P. III. C. IX. Sect. II. quest. 5. exhort. Obs. 14. Ceterum, non sine gravi causa hæc verba: und Christlichem Wandel; addere Ministri jussi sunt, quin magnam habeant utilitatem. Partim, ut criminationibus eorum obex ponatur, qui nos accusant, quasi Coenæ usus apud nos veluti velamentum habeatur improbitatis & securitatis carnalis. Partim ut simpliciores, qui nexum fidei & sanctimonix vel non intelligunt vel non attendunt, diserte admonentur sui officii, ad quod usus ipse Coenæ Dominicæ eos obligat, ut ne sibi persuadeant, se, impetratâ jam iterum peccatorum remissione rursus ad pristina redire peccata posse, donec suo tempore iterum ad sacram Synaxin sint accessuri.

E

SE-

## SECTIO II.

### §. I.

**C**Um hactenus pro modulo mearum virium *κατασκευαστικῶς* circa thesin Disputationis hujus versatus sim, influxum Cœnæ Dominicæ in vitæ sanctimoniam explicando pariter atque probando, restabit, ut etiam *ἀνασκευαστικῶς* eandem paucissimis deducam, quò abs Adversariorum ἐγκλήμασι vindicetur. Quantumvis autem quamplurimi Adversarii, cetera licet diversissimi, in negatione tamen thesis nostræ quam maxime ὁμόηφοι existant, præcipuè tamen hic contra Dippelium, cum alios in singulis ferme Systematibus Theologicis refutatos deprehendere liceat, agere placuit. Cuius enim facile constat, quod hicce Fanaticorum hodie facile princeps existat, in quo uno reliquorum errores veluti confluxere. Hinc ejus contra thesin a nobis adstructam directæ argumenta speciatim refellisse, omnino ex re esse, judicavi. Quandoquidem autem Dn. Præses meus *Comp. Matæol. Fanat. recent. Part. III. C. XI. th. V. p. 249. sqq.* erroneam dicti Viri sententiam etiam quâ hanc partem refutavit, non solum vestigia ipsius premere, sed & brevius heic (ad illum subinde povocando) rem agere mihi licebit.

§. II. Videri equidem Dippelius posset, non denegare Cœnæ Dominicæ influxum & operationem in vitæ sanctimoniam, quando *Papism. Protest. Papul. Cap. II. Opp. p. 159.* dicitur: Sacram Cœnara a Christo pro Discipulis ejus institutam esse, daß sie sich dabey solten setner Wohlthaten erinnern / und durch die äußerliche Genießung der Zeichen / auf seine innerliche Liebe und Gnade / womit er ihre Seele täglich speiset / geführet werden: alsda zu betrachten / wie sein Leib / der vor sie in den Tod gegeben / und sein heiliges vergossen Blut / nunmehr in seiner Erhöhung ihren Seelen innigst vereintigt sey / dieselbe der göttlichen Natur theilhaftig mache / und in das himmlische Wesen versetze / wie er sie damit speise und träncke / wider die Sünd und den Teuffel stärcke / damit sie vitterlich möchten überwinden / und mit ihm in seine Herrlichkeit eingeben. Item: Also findet die gläubige Seele keine kräftigere Speise und keinen kräftigern Trank / als den Leib und das Blut ihres Heylandes / der in ihr wohnet / und ihre selne Liebe zu schmecken gibt / daß sie dadurch zur neuen Creatur täglich auferstehet / und zunimmt / biß sie ein vollkommener Mann wird nach dem Alter und Maas Jesu Christi ihres Heylandes / der sie ganz in sein Bild ziehen und verkleiden will. Sed verò verbis attendenti sat manifestum fiet, juxta hæc scopum S. Cœnæ non alium dici, præter memoriam Christi & ipsius beneficiorum

rum

rum, quā fidelium mentes introvertantur ad Christum jam ante in ipsis  
 existentem, eaque reflexione in novam creaturam resurgant & crescant  
 in virum perfectum; Sacramento autem Coenae, quod in Ecclesiā Chri-  
 stianā administratur, pro ritu externo duntaxat nudaque ceremonia ha-  
 bito, nihil virtutis, nullum in vitæ sanctimoniam influxum relinqui,  
 notissimā illa inter Fanaticos distinctione inter internam & externam  
 Coenam supposita. Sed, quanquam spiritualement manducationem &  
 bibitionem corporis & sanguinis Christi, quæ per fidem fit etiam extræ  
 sacramentalem Coenæ usum, lubentes concedamus; distinctionem ta-  
 men inter externam atque internam Coenam, qualem Fanatici fingunt,  
 cum Scriptura ignoramus, indeque repudiamus. Conf. COLBERGII  
*Platon. Hermet. Christenthum Part. II. Cap. XI.* Quando enim con-  
 firmatio atque incrementa fidei vitæque sanctæ non abs corpore & san-  
 guine Christi, quoad substantiam pani & vino in Sacra Cæna unitis,  
 sed a reflexione tantum mentali ad Christum internum, qui externis  
 illis panis & vini symbolis duntaxat significetur, dependere statuuntur:  
 Quid, quæso, aliud asseritur, quam quod Coena Dominica, quæ  
 apud nos in usu, planeque eadem ipsa est, quam Christus instituit,  
 (nam, quæ hodie illius in dispensatione observantur, ceremoniæ quæ-  
 dam, licet neque a Christo mandatæ, neque in primis seculis usitatæ,  
 nil quicquam differentiæ substantialis efficiunt) plane frustranea sit,  
 nulliusque necessitatis? Et hoc ipsum est, quod intendit Dippelius,  
 quod effectus ille, quem Sacramento Coenæ adscribimus, etiam vul-  
 garibus in conviviis obtineri possit, in dem Wein und Del in die  
 Wunden des gestäupt. Pabstth. der Prot. C. IV. p. 297. 298. scribens:  
 Zu geschweigen / daß die ganze Handlung an und vor sich selbst gar keine Verale-  
 chung mehr hat mit dem Abendmahl des HErrn / oder dem Gebrauch der ersten Kir-  
 chen: Da man bey rechten Mahlzeiten / diese Gedächtniß des HErrn Christi cele-  
 birt / und sich in dem HErrn durch erbauliche Gespräch ergöset / allwo das Pfaf-  
 fen-Wesen keine statt gefunden / sondern ein Christ so viel goltten wie der ander.  
 Sed hæc cum ex superioribus sine negotio refutantur, non erit, ut iis-  
 dem prolixè inhæreamus. Eiecto namque, virtutem in sanctimoniam  
 influentem S. Coenæ competere a corpore & sanguine Christi, quæ in  
 aliis conviviis non exhibentur, per se patebit, hisce non inesse vim  
 operandi talem effectum influxu, qui physicæ sit operationi analogus.  
 Interim colloquia pia de Christo instituta excitare ad vitæ sanctimo-  
 niam

niam posse, in confesso est: at eapropter peculiaria convivia adornare, necessarium non erat. Colloquia ad sanctimoniam adhortari quidem ac incitare queunt; eandem autem operari, aut per realem influxum confirmare & augere non valent.

S. III. Objectiones, quas contra influxum S. Coenae in vitae sanctimoniam format Adversarius noster, passim quidem locorum in Opusculis ejus invenire datur; ut ne tamen Lectori multis allegationibus nauseam creem, compendii ergo, duo tantum, eaque integra exhibere loca licebit, in quibus omne argumentorum suorum pondus coegisse, omneque criminationum in sanctissimum hocce Sacramentum virus effudisse videtur. Alter eorum occurrit in *Prefat. des Wegs Weisers zum verlohrenen Licht und Recht Opp. p. 617.* In der Controvers von den Ceremonien ist wol ausgeföhret/ (loquitur de Merkeri Tract. Christl. Unterr. von der Gemeinsch. der Heill. von den Ceremonien etc.) was es vor eine verwegne Abgötterey sey / in Ordnungen und Stücken des äusserlichen Kirchen-Wesens den Leuten etwas unter einer Gewissens-Obligation oder im Nahmen Gottes wollen aufbürden / wovon kein expresser Befehl kann gezeigt werden In quo quidem asserto nos neutiquam inveniet contradicentes, qui, omnino temeritatis esse, confitemur, sub obligatione conscientiae & autoritate quasi divinâ hominibus obtrudere quidpiam, quod a DEO praeceptum non est; at nostra in Ecclesia tale quid fieri, nullo modo probari poterit. Conferri hîc meretur SCHULENBURGII Schriftmässiger Unterricht vom rechten Gebrauch und Fanatischen Mißbrauch der Christlichen Freyheit in äusserlichen Kirchen Ceremonien und Ordnungen, speciatim quoad præsentem materiam *Cap. VI.* Ad nostram autem materiam accedens Christ. Democritus pergit: Nach diesem Grunde möchte ich wünschen/ daß von Hr. Mercker die so genannte Sacramentes unser Kirch / und die behauptete Lehr-Sätze / zum Exempel (die Kinder-Tauff) so lang auff etne Seit gesetzt) daß das Nachtmahl von Christo zur Vergebung der Sünden und Stärkung des Glaubens, oder zur Befoderung der neuen Creatur eingesetzt sey: Wie man dem armen Volk unter diesem pretext dessen Nothwendigkeit recommendiret, etwas genauer wären geprüft worden; so würde es gewißlich demjenigen / der sich bemühen wolte / solche hypothesen aus der Schrift zu behaupten / so schwer ankommen / als es den Papisten / das Messopffer aus der Schrift zu beweisen. Alter locus est in ipso illo Tract. seu Wegweiss. Part. I. Cap. III. p. 670. Weil keine Christen mehr sich fanden / die als Glieder Christi des Herrn Nachtmahl zu obig-erwehnten zweck solten handhaben / so ist es auch zu einen Gnaden-Mittel gemacht worden

den/erst Christen dadurch zu machen: Es muß zur Vergebung der Sünden eingesetzt seyn. Es muß dienen zur Stärkung des Glaubens, und zum Wachsthum der Wiedergeburt, und dieses alles daher/ weil solche Schätze in, mit, und unter dem Brod und Wein überreicht sollen werden: Fordert man hierüber Beweis aus der Schrift / so sind die Römisch-Catholische nicht schuldig / und unsere Lutheraner beweisens aus ihrem kleinen Catechismo, sonst weiß ich nicht / wo es geschrieben steht / daß die Wasser-Tauff eine Versicherung der Kindschafft Gottes sey; und das Abendmahl vor die abtrünnige getaupte / eine Versicherung / daß ihnen Gott den Ungehorsam nicht wolle zurechnen, oder sie desselben entgelten lassen. Will man über das Beweis aus der zeugenden That selbst fordern / von so vielen tausenden Communicanten einige zu zeigen / deren Glaube und Wieder-Geburt durch das Nachtmahl genossen seye gestärket worden / so daß sie hernach mehr Krafft und Ernst gehabt / die Sünde im Fleisch zu besiegen / und Christo zu leben/ als zuvor / wenn sie auch das Nachtmahl nicht genossen hätten / so werden gar wenige zu finden seyn / und die sich einbilden / werden vielleicht einen solchen Begriff vom Glauben an Christum haben / daß es ihnen besser wäre / alle Zubericht zu verlieren / als nur so sich auff Christum zu stellen daß er bezahle und die Sünde vergebe.

S. IV. Patet ergo ex his adlatis, S. Coenam pro nuda duntaxat ceremonia venditari, hincque nullam plane ipsi relinqui efficaciam, prout etiam in dem Wein und Del in die Wund. des gest. Vabstth. der Protest. Cap. IV. Opp. p. 290. disertè scribit: Mit dem andern Sacrament unser Kirch des HErrn Nachtmahl, hat es gleichfalls, wie mit der Wassertauff eine solche bewandtniß, daß durch diese eusserliche Ceremonie keine Seligkeit in die Communicanten gebracht wird. Ad quod respondetur: committitur petitionem principii, siquidem hoc probandum erat, quod S. Coena non sit efficax gratiae medium, sed nuda tantummodo ceremonia. Nec aliud rationis quicquam invenio, quam quod huic alium subternit errorem, quem professus est in dem Glaub. Bekännntniß Art. XI. opp. p. 438. quod nempe hodie non detur vera S. Coena primitivæ ipsius institutioni respondens. Sed neque hoc ullâ probari ratione potest, cum eandem retineamus & materiam, quam Christus ordinavit, & formam, Ceremoniæ autem nullæ nobis a Christo præscriptæ sunt, quæ & ceteroquin efficaciam Sacramenti nil addere nilque demere valent. Unde nec quantitas materiæ terrenæ (indem die so ge-

nannte Geistlichen das vermeinte Heiligthum in geringer dosi allein in Händen haben) vel major vel minor attendi debebat. Minimè namque pani ac vino præcisè extra usum spectatis, sed corpori & sanguini Christi, cujus *novavitæ* existunt, 1. Cor. X. 16. divinam illam virtutem vindicamus. Dicitur 1. Cor. XI. 20. ex quo & in dem Wein und Del. p. 291. & in dem Glaub. Bekântn. p. 438. probare annitur, quod S. Coenæ Sacramentum apud nos, non sit vera Domini Coena, nil quicquam pro eo facti. Siquidem Paulus non vult simpliciter, quod Corinthii veram S. Coenam non habuerint, quatenus juxta institutionem Christi eandem administrabant; sed dicit solummodò, quod ad epulas, cum egenorum neglectu, imò contemptu, convenientes non rectè debiteque, devotè ac sobriè, celebraverint Coenam Domini, ceu ex v. 21. 22. patet. At verò, propterea potissimum negatur, nos veram habere Coenam Domini, quod indigni admittuntur, & in communione cum his eadem accipitur. Indignos etenim non posse accipere corpus & sanguinem Christi, contendit. Sed hæc materia quoniam jamdudum cum Calvino - Reformatis disputata fuit, ulterius quid addere nolo, provocans ad *Præsidis Camp. Matæol. Fan. rec. Part. III. Cap. XI. Th. 4.*

S. V. Ulteriùs adductis verbis objicitur, quod efficacem S. Coenæ in vitæ sanctimoniam influxum, nonnisi ex Catechismo minori, nulloque prorsus argumento ex Scripturæ S. Codice, probare possimus. Unfre Lutheraner beweisen es aus ihrem Kleinen Catechismo, sonst weiß ich nicht, wo es geschrieben steht. Sed respondetur: Ab ignorantia Dippelii, & eà quidem non involuntaria ac invincibili, sed vincibili & affectatà, ad negationem rei nullatenus consequentia valet. Non solum in ipso Catechismo consequentia legitima inferitur: Wo aber Vergebung der Sünden ist, da ist auch Leben (etiam vita gratiæ, & consequenter confirmatio sanctimonix vitæ) und Seeligkeit; sed Scripturam etiam habemus pro fundamento, ut in præced. Sect. S. IX. usque ad S. XVIII. sufficienter evictum arbitramur. Excipitur, ad ipsam experientiam provocando, quod multis ex millenis communicantium nulli ostendi possint, qui de fidei suæ confirmatione novæque creaturæ incrementis per usum Coenæ obtentis, cum

cum veritate gloriari queant: so daß sie hernach mehr Krafft und Ernst  
 gehabt, die Sünde im Fleisch zu besiegen, und Christo zu leben, als zu-  
 vor, wenn sie auch das Nachtmahl nicht genossen hätten. Quod argu-  
 mentum videtur fundatum in Canone: *Negato effectu, negatur etiam causa.*  
 Verum enim verò, dubium hoc sine negotio sublatum iri, ducimus, si  
 distinguatur inter causam in actu primo & in actu secundo considera-  
 tam: impeditam & non impeditam. Regula producta non de illâ,  
 sed de hac tantum loquitur. Quando effectus non ponitur, illud non  
 semper arguit omnimodam causæ absentiam, nec de insufficientia vir-  
 tutis causæ competentis testatur; sed sæpe causa aliunde impeditur,  
 quo minus virtutem suam reipsa exserat & in actum traducat. Non  
 dicam de Verbo, ex *Matth. XIII. 18. - 29. Luc. VIII. 4. - 16.* ne fortè Fa-  
 natici, etiam Verbo isthanc virtutem denegantes, petitionis principii  
 nos accuserent; sed idem & in naturalibus rebus observare datur. Sol  
 virtute illuminandi ac calefaciendi hæc inferiora pollet: quod si verò  
 radios illius arceas, nullum ab eo senties effectum, & tamen ipse ca-  
 lefactionis ac illuminationis vera causa existit. Ita non negamus, sed  
 dolemus potius, quam multos, S. licet Cœnâ frequenter utentes, nul-  
 lum tamen illius in vitâ suâ effectum demonstrare. Id verò non S.  
 Cœnæ, tanquam intrinsecus virium defectus, imputari poterit;  
 sed ipsi illi Communicantes in causâ & culpâ sunt, dum vel indigni Sa-  
 cramentum acceperunt, vel post usum ejus, canum instar, ad vomitum;  
 & suum lotarum, ad volutrabum cœni, *2. Petr. II. 22.* revertuntur. Nul-  
 los autem simpliciter fidei sanctimonixque confirmationem & incre-  
 mentum per S. Cœnam adeptos inveniri, quomodo nugacissimus hic  
*καρδιωνωσις* (nam *καρδιωνωσία* solius DEI est, *Jer. XVII. 10.*)  
 probabit? Fides etenim internæ mentis res est, non incurrens in se  
 aliorum in sensus; sed à posteriori per effectum, opera scilicet, agno-  
 scenda. Quandoquidem tamen fidem, juxta *2. Cor. XIII. 5.* quilibet  
 in se certò cognoscere potest, non deerunt, qui per usum Cœnæ in eâ  
 se confirmatos sentient ac testabuntur. Adeòque nec deerunt operibus  
 suis demonstrantes, per fidem etiam in vitæ sanctimonia, se S. Cœnæ  
 usu, quanquam sub languore subinde ac repugnantia carnis, confirma-  
 tos & alacriores pronioresque redditos. Quod autem Dippelius quos-  
 cunque alios suo ipsiusmet modulo metiri vult, qui, quamdiu adeò  
 infen-

1103

inensus S. Coenae hostis exstitit, nunquam dignus accessisse, adeoque fructum ipsius nullatenus sensisse judicandus venit, indignum profecto factum est. Certe, a se ad alios dignos S. Coenae hospites sigillatim concludere non licebat.

§. VI. Praeter haec ulterius objicitur, quod praecipuum ferè Fanaticorum pro stabiliendo errore suo argumentum esse videtur: Quod non per externas ceremonias, sed per Spiritum S. qui est Spiritus promissionis fideles accipiant dona gratiae & obsignentur. Verba Dippelli in dem Wein und Del Cap. IV. p. 292. haec sunt; Wir empfangen Christum und alle Schätze des Heyls von demselben durch den Glauben, und werden versiegelt nicht durch äußerliche Ceremonien, sondern durch den H. Geist der Verheißung, welcher ist das Pfand unsers Erbes, zu unser Erlösung, daß wir sein Eigenthum würden zu Lob seiner Herrlichkeit. Eph. 1. 13. 14. Nullum equidem hic mihi dubium est, etiam h. l. intelligi Spiritum illum internum, quem ante omnem mediorum gratiae usum hominibus singulis inexistentem Fanatici comminiscuntur: sed cum ille dudum ab aliis expulsus jam sit, paucis regere liceat; Spiritum S. & media salutis, per quae agere ipsi placuit, & quorsum etiam S. Coena pertinet, non esse contraria, sibi invicem opposita. Non iste haec, neque haec illum tollunt, ceu in oppositis fit; sed media gratiae Spiritui S. subordinata sunt, quippe quae cum in finem ordinata, ut per ea spirituales effectus gratiae in hominibus operetur. Et hinc patet simul, quid respondendum ad locum allegatum, quando credentes obsignati dicuntur Spiritu promissionis, qui est pignus hereditatis nostrae. Scilicet *Spiritus S. est pignus & sigillum gratiae primarium atque principale; S. Coena autem secundarium. Iste, internum; (non tamen ante mediorum gratiae usum nobis existens; Nam per Verbum & Sacramenta, tanquam per instrumenta donatur Spiritus S. ut loquitur AUG. CONF. Art. 5.) haec, externum. Non igitur iste hanc excludit: sicut causa principalis adeo non remouet instrumentalem, ut potius per eam operetur: ut loquar cum Praeside meo l. c. Obs. ad Th. V. p. 434.*

§. VII. Tandem nec praetereundum erit, Dippelium quasi κατ' ἀνθρώπων etiam contra nos disputare conari, ut proprio, ceu dicitur, gladio jugulemur. Nimirum, cum, ipsorum Nostratum ex  
con-

confessione non profit S. Coenae usus nisi credentibus, ut itaque in omnibus ad S. Coenam acc edentibus jamdum ante communionem requiratur fides & sanctimonia, inferre hinc vult, nil quicquam proinde S. Coenam ad novae creaturae seu vitae sanctimoniae incrementum conferre. Verba ejus sunt *loc. cit. p. 292.* Weß denn nun auß dem/ was biß hieher (sed sua falsa ex hypothesi, quam S. IV. vidimus) gesagt/ offenbahr ist/ daß keiner weder zum Sacrament der Tauff/ noch zum H. Nachtmahl/ Kraft der Schrift und dem Gebrauch der ersten Kirch/ soll gelassen werden/ als welcher schon ein gläubig Kind Gottes ist/ und in wahrer Buß stehet: So siehet ein jeder/ daß es Betrug und Lügen ist/ wenn jemand sprechen wolte/ die Sacramenten seyn Mittel/ wodurch der Glaube und die Wiedergeburt in uns gezeuget und gewircket werde/ denn dieses alles muß schon gegenwärtig seyn/ ehe das Sacrament würdiglich kan empfangen werden. *Argumentum fortean tale erit: Si fides & vitae sanctimonia jam ante usum S. Coenae in communicantibus adesse debet, nullā verisimilitudine dicitur, quod S. Coena eandem operetur aut efficiat.* At respondetur: Omnino fidem in dignis S. Coenae hospitibus praerquiri, hujus autem perpetuam actionem & quotidianum exercitium esse, Christi meritum magis magisque ac firmiter apprehendere. Verum non minus constat, fidei in hac vita perpetuo cum infirmitate variisque tentationibus conflictandum esse, nec non credentes, praecipue sub cruce & tentationibus, saepius angri de eo, an generales Evangelii promissiones ad se quoque in individuo spectent, & DEus suam ipsis gratiam concedere velit? Idpropter fides opus subinde habet confirmatione ac robore divinitus addito. Id verò praestat DEus non immediate, sed vi ordinationis suae, mediantibus gratiae & salutis mediis, uti Verbo, ita etiam Sacramentis, ut proinde fideles etiam per S. Coenam ex perceptione corporis & sanguinis JESU Christi, fidei capiant confirmationem, nutritionem atque augmentum. Porro etiam renati atque fideles intra semet experiuntur rebellionem legis, quae est in membris, adversus legem, quae in mente est, *Rom. VII. 23.* & luctam carnis atque spiritus. *Gal. V. 17.* per omnem hanc vitam renatos graviter affligentem. Hac autem in pugna saepe fit, ut caro, obsequente nimirum illi homine, validiores vires acquirat, majorique cum vi spiritui resistat, spiritus autem debilitetur: prout in contrariis fieri assolet, ut quantum unum eorum crescit atque augetur, tantum decreseat ac imminuatur alterum.

F

opus

opus habet, ne succumbat, sed carnis caput extollentis arma & aggressiones non sustinere solum, sed & repellere, eamque ipsam, dum expellere in hac vitâ aut opprimere nequit, vincere & supprimere queat. Has vires Spiritus per S. Coenam, dicimus, non primitus conferri, sed confirmari atque augeri. Et hinc patet, quomodo recte dicatur, fidem & vitæ sanctimoniam in iis requiri, qui Sacramento hoc dignè usuri sunt, & nihilominus idem illud in fidem & vitæ sanctimoniam eorum influxum habere. Nam S. Coenam Dominicam haud Sacramentum initiationis, sed confirmationis esse, asseruimus.


## EPILOGUS.

**Q**vandoquidem itaque sacratissimum hoc S. Coenæ epulum influxu adeo efficaci fidem & sanctimoniam vitæ promovet: Age ergo! quisquis eo usus, ut efficaciam suam in te per Spiritus DEI gratiam exserere possit. Quod ut fiat, recogites Paulinum illud: **PROBET SE HOMO!** Panem enim non propositionis, (quo Levitæ usuri pedes lavabant) sed panem vivificum de caelo, Christi corpus & sanguinem, in S. Coena accipis: quare lavabis non tam corporis membra, quam animam & conscientiam tuam, ut digne de hoc pane comedas, nec mundi hujus Ægypto quidpiam tui relinquas, non cor, non affectus, non cogitationes. Calceos item terræ infixos, more poenitentium pristino (referente **SURIO in vita Vivronis de Rege Pipino**) exuas. Non enim ad rubum, sed ad vitem, palmes, accedis. Nec imprudens, ut olim Ula foederis arcam, hunc cibum ac potum tetigeris; sed corde conttito, fidei & sanctiora spirante usurpes. Caveas item, ne post perceptum salutare hoc animæ pabulum Ægyptiacis mundi ollis denuò inhies, aut cum cane mox ad vomitum revertare. Ne cogites, per S. Coenam Te peccatorum adeptum remissionem esse, ideoque pergere jam in peccatis tibi licere. Potius incitamentum tibi sit usus S. Coenæ, ut majori cum curâ vitæ studeas sanctitati. Et quoties te carnis allecant illecebræ, ne patiare,

pec-

peccatum regnare in mortali corpore tuo, ut obedias ei in concupiscentiis suis; sed corporis & sanguinis Christi, quæ S. in Coenâ accepisti, recordatus, fortiter illi resistas, certissime pervalus, si verâ cordis fiduciâ Salvatori tuo adhaeris, victoriam te reportaturum. Accepisti namque in sacro hoc epulo salutare vitæ pharmacum, peccatiq; antidoton præsentissimum, quo ita fruaris & quantum in te est, operam des, ut ne frustra idipsum temet accepisse dolere habeas, sed potius DEO exinde laudes, tibiq; salus æterna obtingant. Quo voto singulos S. Coenæ hospites prosecutus finem præsentis opellæ impono. Benedictus interim sit DEUS pro infinita suâ misericordiâ, qua, ut Verbi sui veritatem, ita & salutiferum hoc salutis medicamentum contra inferni portas hucusque potentissime servavit. Servet & idem, imo servabit ad mundi usque interitum in

**SUI NOMINIS GLORIAM.**



**NOBILISSIMO, CLARISSIMO & ERUDITISSIMO  
DN. WIENCKEN,**  
*Philos. & Theol. Cultori ac studioso solertissimo & maxime industrio salutem omnigenam precatur,*

**WEIDENERUS, D.**

**Q**uamvis instar sedulitatis, indefessi laboris & ornatissimorum in Te morum, nostra hactenus Academia, & quotquot studiis ingenuis & solidioribus sincerissimam operam navant, acceperint & coluerint, non Ego, sed omnes vere docti & pii propitio testimonio

& in gratiam accitis symbolis, ultro significabunt, non enim moror istos nauci homines, qui prater postilla nil discunt, nil sciunt, & cum postillis æquè proficiunt ac cancer retrogradiens aut inter undas conflictans, frustra feriens fluctus, quos partiri commodè & in salutem suam subigere non didicit. Videmus TE in pudorem istorum indelebilem, Adamatissime Dn. WIENCKE omnis cultioris scientiæ, Sacrarum Literarum, Sanctioris Theologiæ, Antiquitatum & recentioris controversiæ tam strenuum, tam pium, tam politum cultorem, ut omnium nostri favorem non emendicaveris, aut furtim abstuleris, sed omni tuo merito erogandum exegeris, sive enim ad pedes nostros sagaciter sedens, doctrinas haurires, sive documenta dares eorum, quæ acceperas, si in cathedris Ecclesiarum aut Academiae exercebaris, non potuimus non albo lapillo communire Tuam hanc studiorum admirabilem metam, qua superandis omnibus præsto & par, imo major multoties comparebas: Nil Ego dicam, qua sedulitate ultimum Academicæ Tuæ vitæ quadrantem mecum advigilaveris Criticæ ac Hermeneuticæ S. B. & Augusti Doctoris PFEIFFERI, ut aureas has disciplinas penitus imbiberes atque præsentis Seculi eruditioribus observatis perficeres, neque encomiastes ero sive deæ Tuæ pergravis & egregiæ, quam nativam quasi debes Avo Tuo Excellentissimo & Celeberrimo nostro Theologo, DN. D. STARCKIO, Gamalieli nostro nunquam satis laudando. Idem & plura adhuc mecum testantur Theologi Varniacæ nostræ Celeberrimi & Collegæ mei conjunctissimi, quorum & gratiam & favorem sortibus Tuis lautioribus olim futuris in peculium adscivisti: Certe! ex Te PARENTEM VENERANDUM, noscere proprius nobis sicut & gratulamur Eidem hanc suam sobolem vesti-




connectere, quandoquidem bene nosti, cognitionem voluntatis divinæ, absque ejus executione, claudo velut pede incedere, sicut executio voluntatis divinæ absque ejus sufficienti cognitione cæca est, imo ne nomine quidem digna, cum nemo voluntatem divinam rite exequi queat, si eandem non rite percepit. At altera vice ad nos rediens non solum ulterius studiorum incrementum anhelasti, sed etiam publico in lucem edito specimine declaratum dare gestis, qualem scientiæ sacrae apparatus Tibi acquisiveris. Ergo DEUS O. M. conatus tuos laudatissimos provehat, blandam benignitatis celestis auram undiquoque adspiret, atque omnia ex voto Tibi fluere concedat. Scrib: Anno <sup>1750</sup> MDCCLXXII. die 12. Decembr. inter meditationes sacras.

**HERM. CHRISTOPH. Engelken/**

SS. Th. Doct. Ejusque Prof.

Publ. Ord.



Ad  
Nobilissimum Doctissimumque

**DN. AUTOREM-RESPONDENTEM,**  
Fautorem & Amicum suum per dilectum,

**S**exennium penè, paucis duntaxat mensibus demtis;  
præterit, ex quo primum, abs perquam Reveren-

do

do


do

do DN. Parente tuo, Viro de Ecclesia, cujus fideissi-  
 mam curam gerit, egregie merito, quem DEus Altissi-  
 mus & Ecclesiae & Familiae suae diu superstitem velit  
 qualicunqve meae institutioni commissus ac commenda-  
 tus, in notitiam meam venisti, Amice aestumatissime.  
 Et per omne hoc tempus eum Te semper cognovi, quem  
 Tete futurum vel in primo tuo ad me accessu conjece-  
 ceram atqve speraram, ut inde nullus quoque dubitem,  
 quin voto desiderioque Optimi Genitoris tui abunde sa-  
 tisfeceris. Expertus sum in frequentandis Collegiis sive  
 Praelectionibus sedulitatem & assiduitatem tuam, in at-  
 tendendo ardorem, in excipiendis doctrinis promptitu-  
 dinem & alacritatem, in colloquiis solertiam atqve judi-  
 cium. Hisque dotibus accessit, ceu omnibus, qui Te  
 norunt, ignotum non est, innocens tua &, in conspe-  
 ctu hominum, irreprehensibilis vivendi ratio, qua lucu-  
 lenter demonstratum dedisti, Avi tui; Viri summè Reve-  
 rendi quondam atqve religiosissimi, D. SAM. STAR-  
 CKII, Coelitum choro jam dudum associati, quem suum  
 sibi Doctorem, utut per breve tantummodo tempus,  
 & Academia nostra & Ecclesia heic loci Jacobæa vel ho-  
 dienum in deliciis habet, pietatem atqve virtutes non  
 exigua in mensura in Te, nepotem ejus, derivatas esse.  
 Istitis itaque omnium Tibi & amorem & benevolentiam  
 conciliasti, ut & optima quaeque de Te sperarent, &  
 bene Tibi cuperent, & indolem hanc gratularentur. Imò  
 tanto effectu eadem Te commendarunt, ut Serenissima  
 Princeps AUGUSTA, Dux Mecklenburgica, omnium,  
 quae Principes personae praepollent, virtutum, pietatis  
 cum primis erga DEum & Ducalis clementiae erga suos  
 pariter atqve omnes, encomiis verè augusta, cui non  
 nisi

nisi boni placere possunt, in Aulam suam Te clementif-  
sime pertraxerit, formandæ, quæ Serenitati ipsius a ser-  
vitiis est, Generosæ Juventuti præfectum. Quæ omnia  
spem Patriæ non levem faciunt, fore, ut aliquando Ec-  
clesiæ multo cum fructu sis inserviturus. Tu verò, ne  
eandem imminuas, sed augeas magis magisque, anni-  
teris laudabiliter atque laboras. Eoque, inter alia, ten-  
dit, quod abs Temet elaboratum publicæ luci expositu-  
rus es scientiæ Theologicæ specimen, de quo Tibi omnes  
boni gratulabuntur. Accedo illis & ego, non huncce  
solum laborem, sed cunctas tuas dotes atque virtutes &  
Tibi, & Parentibus tuis, & Patriæ, & Ecclesiæ gratu-  
latus. DEUS, qui Tibi & Alpha est & Omega, omne  
Tibi bonum prospiciet. Vale! Scr. Rostoch, d. 12. Decemb,  
Anno R. S. MDCCXXII,







connectere, quandoquidem bene hosti, cognitionem voluntatis divinae, absque ejus executione, claudo velut pede incedere, sicut executio voluntatis divinae absque ejus sufficienti cognitione caeca est, imo ne nomine quidem digna, cum nemo voluntatem divinam rite exequi queat, si eandem non rite percepit. At altera vice ad nos rediens non solum ulterius studiorum incrementum anhelasti, sed etiam publico in lucem edito specimino declaratum dare gestis, qualem scientiae sacrae apparatus Tibi acquisiveris. Ergo DEUS O. M. conatus latissimos provehat, blandam benignitatis celestis undique adspiret, atque omnia ex voto concedat. Scrib: Anno 1650. MDCCLXXII. inter meditationes sacras.

CHRISTOPH. Engelsen/

Doct. Ejusque Prof.  
Publ. Ord.

DN. AUTOREM  
Fautorem & Amicum  
Nobilissimum  
ALUM QVE  
IDENTEM,  
electum,

SEXENNIIUM pene, paucis duntaxat  
præterit, ex quo primum, ab  
do

